MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80101-1

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

KORTZ, FRIEDRICH

TITLE:

QUAESTIONES GRAM-
MATICAE DE JULII...

PLACE:

ISERLOHN

DATE:

1893

Master Negative #

91-80101-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



87F92
Z8
v.1

Kortz, Friedrich, 1866-
Quaestiones grammaticae de Julii Frontini operibus institutae, commentatio philologica quam... scripsit Fredericus Kortz... Iserlohn, Ex typographia Bormanniana, 1893.
110 p. 20 cm.

Thesis. Münster.
Vol. of theses.

52898

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6.27.91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



87F92 Z8
Columbia University
in the City of New York
LIBRARY

QUAESTIONES GRAMMATICAE DE JULII FRONTINI OPERIBUS INSTITUTAE.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA

MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FREDERICUS KORTZ

RHENANUS.

ISERLOHN.

EX TYPOGRAPHIA BORMANNIANA

MDCCCXCIII.

87F92
Z8
v.1

JOANNI DOEBBENER

GUILIELMO BUSCH

VIRIS OPTIME DE ME MERITIS

SACRUM.

Sexti Julii Frontini quae ad nos pervenerunt operibus viri docti iam enixe operam criticam quidem adhibuerunt. Nam et Frontini duorum librorum, qui de aquis urbis Romae inscribuntur, editio a Fr. Buechelero parata (Lipsiae 1858)[1]) et eiusdem auctoris strategematon librorum quattuor editio, quam curavit Gotth. Gundermann (Lipsiae 1888), satis accuratam codicum cognitionem certumque crisis fundamentum praebent. Reliquum mihi esse videtur, accuratius inquirere, qua dicendi consuetudine Frontinus in scriptis suis usus sit. Ut hanc investigarem, duplici ex causa commotus sum. Primum quidem in animo mihi erat, quantum fieri posset, statuere, quantopere ab optimorum scriptorum usu Frontinus discreparet, deinde experiri volui, num quid possem conferre ad quaestionem illam diiudicandam, quae pertinet ad auctorem libri qui fertur quarti strategematon.

Quaestionibus enim C. Wachsmuthii[2]) et Ed. Woelfflini[3]) innixus Gundermannus quartum strategematon librum non solum a Frontino abiudicandum, sed etiam ab alio, qui se Frontinum esse profiteretur, de industria postea adiectum esse censuit[4]). In singulis quidem rebus cum causis ab illis viris allatis non consentit, sed novis argumentis adiectis

---

[1]) Nova editio commentario instructa nunc paratur a Gotth. Gundermanno (Lips. bibl. Teubn.), ut modo legi.

[2]) Cf. Mus. Rhen. XV. (1860) p. 574—583.

[3]) Cf. Hermae vol. IX. (1872) p. 72—92.

[4]) Cf. Quaestiones de J. Frontini libris. Jahrb. für klass. Philologie. Suppl. Bd. XVI. et Julii Frontini strat. libros quattuor edid. Gunderm., praef. pag. XIII.

illorum virorum sententiam firmavit. Nunc autem quaestionibus, quas instituerunt Ern. Fritze[1]) et P. Esternaux.[2]), dilucide demonstratum est, aut ea quae Wachsmuthius, Woelfflinus, Gundermannus quamvis acute animadverterunt, tamen magna ex parte esse dubia aut conclusiones eorum magis artificiosas esse quam ut librum quartum a Frontino abiudicare cogeremur. Causae quas Wachsmuthius, Woelfflinus, Gundermannus ad comprobandam sententiam suam protulerunt, spectant primum ad rem strategematon libris tractatam, deinde ad disponendi rationem, qua Frontinus et quarti qui fertur libri scriptor in collocandis exemplis usi sint, tum ad fontes unde uterque hauserit, postremum ad loquendi consuetudinem duorum qui dicuntur scriptorum. Haec quattuor causarum genera in universum a Fritzeo et Esternauxio refutata sunt. Sed cum quaestiones de iis causis quae ad materiem strategematon libris tractatam et ad disponendi rationem spectant, ad finem perductae videantur, novas quaestiones et ad fontes qui adhibiti sunt et ad dicendi consuetudinem pertinentes denuo instituere supervacaneum non esse existimo. Nam etsi Fritzeus et Esternauxius ea argumenta ex fontibus adhibitis et ex consuetudine dicendi petita, quae a Woelfflino, Wachsmuthio in medium prolata sunt, maxima ex parte refutaverunt, tamen et quaestione, quae de fontibus instituatur ita, ut Melberi quaestio de Polyaeno instituta ad imitandum proponatur[3]), et commentatione, qua in totam elocutionem inquiratur quaeque per omnia auctoris scripta[4]) pertineat, aut novae discrepantiae, quae inter libros I—III strategematon

[1]) Cf. de Julii Frontini strategematon libro IV. diss. Hal. Sax. 1888.

[2]) Cf. Die Komposition von Frontins Strategemata. Berlin 1889. (Supplément littéraire du rapport historique et statistique du collège royal français).

[3]) Cf. etiam H. Landwehr, Berliner Philolog. Wochenschrift 1889. No. 4, p. 13—16.

[4]) Non respicio Front. libr. de re grom., quorum excerpta tantum servata sunt (cf. Schriften der röm. Feldmesser von Lachmann u. A. I. p. 1—58).

et librum IV. intercedant, detegentur aut nova argumenta addentur, quibus evidentius appareat, causam non esse, cur quartus qui fertur liber ab eo, qui tres priores conscripserit, abiudicetur. Quas duas res tractare cum tempus mihi desit, hac quidem commentatione mihi proposui, omnem loquendi consuetudinem Frontinianam accurate perscrutari.

Priusquam autem ad rem mihi propositam accedam pauca verba de interpolationibus, qui sunt in libris strategematon, dicenda sunt. Strategematon libros amplificatos esse nemo est quin concedat. Jam vero quod Woelfflinus dicit, interpolationes illas quae sint in libr. I—III a falsario quodam profectas esse, qui quartum quoque librum adiecerit, quaestionibus a Fritzeo et Esternauxio institutis demonstratum esse arbitror, non solum libros tres priores sed etiam librum quartum ab uno eodemque interpolatore novis exemplis auctos vel potius inquinatos esse, qua de causa fieri non potest, ut idem, qui tres priores libros interpolaverit, auctor sit libri quarti. Sed de iis exemplis quae a Frontino aliena sint, atque de iis causis, ex quibus colligi liceat, quae exempla subditicia putanda sint, in diversas sententias viri docti discedunt et in posterum, ut mihi quidem videtur, discedent. Neque tamen, ut facile apparet, quaestionem ad ea exempla quae ex opere genuino removenda sint pertinentem prorsus neglegere mihi licuit.

Praefationem libri primi verbis *Si qui erunt . . . . posuimus* postea auctam esse constat. Praeterea autem Gundermannus interpolationum tria genera (cf. praef. edit. p. XIII. sq.) discernit, primum exempla nova quibus adiecto iam libro quarto corpus strategematon auctum sit; haec exempla plerumque incipiunt a verbis *Idem fecit.* Ad. Bauer[1]) ea removenda non esse censet. Contendit enim, Frontinum non solum ex scriptis rerum gestarum hausisse, sed etiam

[1]) Cf. Jahresbericht über die Fortschritte der klass. Altertumswissenschaft von Bursian-Müller. 60. Bd. Jahrg. 1889. 3. Abtlg. pg. 60.

antiquioribus strategematon collectionibus usum esse; id colligi licere ex eo, quod Gundermannus uno loco observaverit, complures historias a Frontino eodem ordine dispositas esse quo apud Valerium Maximum. Similibus ex causis demonstrari, talem dictorum quoque collectionem imperatoris Augusti temporibus exstitisse. Si autem tales collectiones iam exstiterint, intellegendum non esse, cur ei scriptori, qui sicut Frontinus novam collectionem strategematon in publicum ediderit, exempla, quae a verbis *Idem fecit* incipiant, adiicere non licuerit, quod factum esse ab Aeliano confirmari. Sed utrum ea quae diximus exempla ad Frontinum referenda sint necne, in medio relinquam, cum minoris illa momenti sint ad loquendi consuetudinem comprobandam. Tum autem Gundermannus nonnulla exempla affert, quae bis tradita sunt, primum ea, quibus paucis mutatis eadem res narratur, deinde ea, quae eisdem verbis altero loco repetita sunt. Quamquam Frontinum fontibus, ex quibus hausit, mira quadam diligentia usum esse cognovimus, tamen facile fieri potuit, ut Frontinus multitudine historiarum, quae narrantur, inter se similium confusus nonnulla exempla identidem in corpus strategematon reciperet. Itaque cum Bauero l. c. non esse existimo, cur exempla ea, quibus paucis mutatis eadem res narretur, alterutro loco removeantur, praesertim cum unum idemque exemplum diversis consiliorum generibus subiungi potuerit. Sed concedi licet ea exempla, quae eisdem fere verbis repetita sunt, uno alterove loco inserta esse. Exempla quae duobus locis exstant, haec sunt: str. I. 1, 11 = I. 5, 13, quod exemplum suum locum obtinere str. I. 5,13 recte iudicavit Gundermannus (cf. quaest. pg. 329); tum leguntur str. II. 4, 15 = IV. 7, 40 et II. 4, 16 = IV. 7, 41. Woelfflino (cf. pg. 74) et Gundermanno (cf. pg. 327), qui haec duo exempla quarti libri scriptori esse attribuenda demonstraverunt, assentior, quamquam argumenta quae Woelfflinus attulit, mihi non omnia probantur (cf. Estern. pg. 10, 14, 15 adn., 18 sqq.). Praeterea inveniuntur str. I. 5,12 = IV. 5,8;

I. 5,14 = IV. 5, 9; I. 5, 15 = IV. 5,10; I. 11, 3 = IV. 5,11; I. 10, 1 = IV. 7, 6. Haec exempla scriptorem libri quarti ex prioribus libris suae discriptionis generibus subgessisse censuit Gundermannus. Ex. IV. 7, 6 hoc loco subditicium esse puto. Nam Frontinianae dictionis proprium esse demonstravit Fritzeus (pg. 13 sq.), singula in exemplis verba interdum ita esse electa atque verborum connexum ita esse factum, ut circuli quidam exemplorum, quae sententiarum vinculo inter se coniuncta essent, etiam externa dictionis forma similes fingerentur. Propter hanc verborum electionem str. I. 10, 1 = IV. 7, 6 priori loco genuinum esse puto. Cf. I. 10, 1 . . . . *inconsulte pugnam exposcentes* . . .; I. 10, 2 . . . *pugnae signum inconsulte flagitantes* . . . . Praeterea I. 10, 2 verbo *Idem* exemplo quod antecedit adnectitur. Reliqua autem exempla mea quidem sententia in quarto libro suum locum obtinent atque inde in libros priores translata sunt. Primum enim haec exempla in libro quarto externa dictionis forma inter se et cum exemplo, quod praecedit, artissime coniuncta sunt. Cf.

IV. 5 { 7 *incolumes Canusium pervenerunt.*
{ { 9 *incolumis cum militibus consuli accessit.*
{ { 8 *loco iniquo circumventus.*
{ { 9 *iniquis locis deprehenso.*

Accedit, quod exempla IV. 5, 8—11 nullo alio exemplo interrupta deinceps inveniuntur, strategematibus autem I. 5, 12. 14. 15 aliud exemplum interpositum et exemplum I. 11, 3 (= IV. 5, 11) ab illo exemplorum ordine prorsus seiunctum est. Atque etiam multo verisimilius est, librarium quendam, qui in quarto quoque libro a Frontino ipso velut res residua (cf. praef. libri IV.) cum tribus prioribus libris coniuncto exempla repperisset apta, quae nonnullis strategematon generibus subgererentur, putavisse, primam ac potissimam partem operis Frontiniani aptis illis exemplis inserendis complendam esse, quod ut fieret, Frontinus ipse quasi

adhortatus erat (cf. praef. libr. I. p. 2. v. 20 sqq.). Postremum ne id quidem contendi licet, haec exempla magis ad appellationem strategematon adaptari ob eamque rem in libro IV. apta non legi, nam si quis accuratius perspexerit, facile intelleget, res his exemplis tractatas a genere strategicon, quae libro quarto continentur, non esse alienas. Quibus de causis str. IV. 5, 8—11 hoc loco genuina esse existimo.

Tantum dico de interpolationibus. Alia exempla, quae dubia putantur, sed in codicibus Frontini nomine tradita sunt, quaestioni subicere mihi liceat.

Aggrediamur nunc rem propositam. Praemoneo, cum Frontini elocutio multa cum optimorum scriptorum dicendi consuetudine communia habeat, in universum me hanc disputandi rationem secuturum esse, ut eas totius materiae partes, in quibus aliquas discrepantias detexisse videor, exemplis ex scriptoris operibus petitis instruam, reliquas aut paucis verbis attingam aut omnino silentio praetermittam. Sed saepius usitatiora quoque afferre coactus sum, ut sive consensum sive discrimen, quod interest inter libros tres priores strategematon et librum quartum, demonstrarem.

Denique commemoro in hac commentatione in universum Draegeri librum qui inscribitur: Historische Syntax der lateinischen Sprache, Ed II. Lips 1878 me ducem habuisse. In locis afferendis libr de aquis urbis Romae secutus sum editionem Buecheleri (Lips. 1858), in laudandis locis libr. strategematon editionem Gundermanni (Lips. 1888).

De partibus orationis.

I. De substantivis.

1. De substantivis concretis numero plurali adhibitis, quibus adiectiva in numero singulari apposita sunt, non multum habeo, quod proferam. Legimus de aqu. pag. 30, 24; 31, 8; 31, 17, 25 aliis *regiones primam, secundam, tertiam* etc. Alterum exemplum, quo nomen appellativum eo quo dixi modo adhibitum est, inveni de aqu. 27, 21 *Curtium et Caeruleum fontes.* Idem exemplum affert Draeg. II. praef. pg. IV. ex Plin. 36, 122.

2. Ubi genetivus partitivus exspectatur, nomen appositionale invenitur strat. I. 6, 1 *legionem . . . . quinque cohortes in dextram viae partem direxit, quinque ad sinistram.* Haec constructio, apud scriptores aureae aetatis rarissima, saepius adhibita est a Livio. De voce *milia* cum substantivo eodem casu coniuncta cf. huius comm. pag. 25.

3. Substantiva concreta numero singulari collectivo persaepe Frontinus adhibuit, cum nostra lingua utamur plurali. Congruenter cum Livio plerumque nomina gentium et partes exercitus ita usurpantur. Excepta voce *hostis,* quae et priorum trium librorum et quarti libri strategematon plurimis locis numero singulari posita est, exempla quae inveni haec sunt: strat. I. 1, 6 *Parthus;* 1, 9 *Poeno;* 2, 2 *militi nostro;* 4, 11 *militem traiicere:* 6, 1 *explicato milite;* 8, 3 *in Sentinate;* 11, 5 *miles;* 11, 11 *paratiorem militem;* 11, 13 *militi uteretur;* 11, 14 *militi;* II. 1, 4 *Poeno;* 1, 9 *sibi esse militem;* 2, 5 *militem eduxit;* 2, 8 *militem collocavit;* 2, 9 *equiti;* 2, 11 *in pedite;* 2, 12 *circumducto pedite;* 3, 1 *Hispani,*

robustus miles; 3, 6 *[peditem], equitem;* 3, 13 *Graecum militem;* 3,17 *equitem* (bis); 3, 20 *equitem;* 3, 22 *equitem;* 3, 24 *transgrederetur Romanus;* 4, 17 *educturus militem;* 5, 5 *militi suo;* 5, 23 *suum militem;* 5, 33 *pedite accedente;* 5, 42 *naves onustas omni milite;* 9, 8 *alio milite pugnatum;* 9, 9 *Atheniensi milite complevit;* 10, 2 *militi;* 10, 3 *Romanum;* III. 2, 1 *id facere Romanum;* 9, 10 *nudatis defensore munitionibus;* 10, 6 *disposito milite;* 11, 2 *milite reducto;* 17, 2 *militem continuit;* 17, 5 *militem tenuit;* 17, 6 *amisso milite;* 17, 7 *continendo militem;* — IV. 1, 1 *miles;* 1, 7 *cibaria militis;* 1,15 *miles;* 1, 37 *duarum cohortium militem decimavit;* 7, 19 *remigem exercebat;* 7, 22 *ad Poenum.* Uno loco sicut apud Livium (cf. Draeg. I. pg. 4) numerum pluralem iuxta singularem positum invenimus: 1, 18 *equites ad peditem redegit, pedites ad levem armaturam.* Haec igitur dicenti ratio, qua pro plurali singularis collectivus adhibetur, non aliena est a libro IV.

Atque collectivo singulari usurpata sunt etiam nomina, quae significant materiam, ex qua fit aliquid. Cf. de aqu. pg. 46, 14 *tofo exstructae;* 47, 3 et strat. III. 3, 5 *lapide quadrato;* str. I. 5, 21; 7, 6 *ex vimine.*

4. Substantiva concreta numero plurali Frontinus non raro adhibuit, cum nostra lingua utamur singulari. In libris de aqu. praeter plurimos locos, quibus aquae pro aquaeductibus positae sunt, pluralis quoque saepius significat 'Wassermassen'. Cf. ex. gr. de aqu. pag. 29, 23 *acquisitione aquarum;* 34, 18 *turbulentas limosasque aquas;* 35, 1 *aquarum sinceritas;* similiter strat. III. 6, 6 *ductum aquarum;* 9, 2 *sono aquarum.* Deinde affero haec: strat. I. 5, 2 *ignibus;* 5, 11 *humo et frondibus;* 5, 27 *levibus materiis;* 7, 2 *materiarum copiam;* II. 2, 7 *arenarum et pulveris vertices;* 5, 13 *lignis;* III. 2, 5 *adversus ignes;* 4, 6 *frumenta;* 10, 5 *ligna umida;* 17, 7 *lignis sarmentisque;* IV. 5, 20 *religatis sarmentis;* 7, 8 *lignorum inopia.* — Jam vero hoc loco enumerare mihi liceat substantiva quae

significant tempestatem: de aqu. 9, 4 *siccitates;* 28, 22 *siccitatum;* 10, 15 *sine pluviarum iniuria;* 10, 17; 34, 17 *imbres;* 35, 1 *imbribus;* 46, 1 *vi tempestatium* (str. I. 1, 2 *vi tempestatis);* 46, 24 *nimiis caloribus;* 46, 7 *nec gelicidiis* (sicut Cato, Colum., cf. Klotz) *nec caloribus exposita;* strat. II. 1, 15 *nebula et imbribus;* 5, 21 *densiores nebulae;* IV. 1, 1 *frigora et imbres.* — In hoc dicendi usu Frontinus cum bonis scriptoribus concentit (cf. Draeg. I. pg. 5—7).

5. Substantiva abstracta vice concretorum fungentia in Frontini scriptis non ita crebra sunt. Haec exstant de aqu. pg. 8, 18; 25, 25; 26, 12; 27, 20; 28, 7; 29, 23 *acquisitiones* = das Erworbene, der Zuwachs, Zuflüsse; 29, 11 *corruptelae* (sicut apud Terent. Ad. 537; cf. Draeg. I. pg. 22) pro loco corruptionis = liederliche Häuser; 44, 12 *negotiationibus* pro taberna locove, quo mercatura exercetur = 'Handlungen' (cf. Dederichii[1]) adnot. pg. 218); 39, 1 *apparitores et ministeria* = ministri, servi; 44, 24 *aliquot ministeriorum species* = servorum; 11, 5 *formae* = imagines rerum, Grundrisse, 29, 5; 48, 3 = Einfassung, die umgebende äussere Form, — Leitungen, Röhren; *substructiones* multis locis pro voce concreta exstant sicut apud Cic. Caes., Colum. (cf. Draeg. I. pg. 22). — In libris strateg. haec sunt exempla: I. 1, 3 *per speciem servitutis ac ministerii* = servorum ac ministrorum; 3, 10 *refugia nudaverat* (11, 21 *refugium* abstracte positum est), cf. Klotz sub voce *refugium;* II. 3, 4. 6. 10. 17. 20; 5, 3. 31a. 32 *levis armatura* = milites levis armaturae; 5, 30 *principia* = principes (cf. Klotz); III. 3, 6 *onusti venatione;* IV. 1, 8 *ordinis militiae* = militum; 1, 18 *levem armaturam;* 1, 26. 27. 28 *principia.*

6. Adiungere mihi liceat voces nonnullas, quibus translatione quadam Frontinus usus est. Cf. strat. II. 1, 11 *interfectis impedimentis* = iumentis; I. 10, 4 *armis civilibus*

[1]) Julii Frontini de aquaeductibus urbis Romae liber ed. A. Dederichius, Vesaliae 1841.

et IV. 5, 2 *civilium armorum* = bellis civilibus sicut apud Cic. fam. 2, 16. M. Schanz [1]) hoc loco libri IV. in verbis *in tumultu civilium armorum actum* (sic cod. mel., Gunderm. pro *actum* scripsit *facta*, sed consentio cum Hartelio [2]), qui pro *actum* coniecit *facta ac tum)* glossema inesse contendit, cum additamento illo opus non esset, quod mihi non probatur, cum liber IV. non eadem diligentia qua libri tres priores conscriptus sit atque in exemplis componendis constructiones participiales complures iuxta se positae sicut hoc loco et a Frontino et ab auctore libri IV. valde adamentur (cf. h. c. pg. 104).

Denique affero *adiutorium* pro *auxilium* (cf. Woelffl. pg. 73) et in libr. de aquis et in libr. strateg. I.—III. et in libr. IV. multis locis inveniri. Vox *modi*, quae de aqu. 8, 9 eadem significatione qua *copia, quantitas* (cf. Ded. pg. 300) legitur, eodem sensu adhibetur str. II. 5, 12 et IV. 3, 12.

7. Frontinum quoque pluralem modestiae et singularem numerum promiscue usurpasse (cf. Draeg. I. pg. 25) demonstrant loci velut de aqu. pg. 11, 1 sqq. *mihi visum est . . . nostrae sollicitudini . . . . curavimus . . . habere possimus*; 13, 14 . . . *existimo . . . proferamus . . . invenerim*; 22, 12 sqq. . . . . *persecutus . . . ponam . . . nostram curam . . . ipsi invenerimus*; 45, 17 . . . *sicut promiseram, divertemus*; 51, 17 sqq. . . . *non negaverim . . . laboravimus . . . possumus . . . opto*; strat. I. praef.: . . . *accesserim . . . cura nostra . . . visus sim . . . . nostra sedulitas . . . praeparavi*; II. praef. . . . . *mea opinio . . . reddemus*; III. praef.: . . . *edam . . morabor . . . video . . . fecimus.*

[1]) In Philologi vol. 48 (1889), pg. 677.
[2]) Stud. Vindobon., vol. 6, pg. 116.

II. De adiectivis.

1. De adiectivorum (vel participiorum) masculinis loco substantivorum positis non multa afferenda sunt.

a) Masculina numero singulari adhibita sunt de aqu. 1, 15 *agentis* (= Geschäftsführer), 43, 17 *accipientis*; strat. I. praef. *legentem*; de aqu. 1, 13 *praepositei* (gen.), 11, 3 *praepositum* (item plur. 45, 2 *praepositorum)*, quibus locis duae personae altera alteri oppositae leguntur [1]).

b) Masculina numero plurali adhibita haec sunt: de aqu. 40, 8 al. *salientes*, quod participium ellipsi quadam fit substantivum (cf. Naegelsbach pg. 120 et 21); de aqu. 2, 16 *cultiores*, quo loco pars quaedam hominum significatur (cf. Naegelsb. pg. 119), similiter str. I. 1, 4 *eminentibus*. — Usitatissimi sunt apud scriptores classicos genetivi in plurali positi participii praesentis velut de aqu. 2, 3 *succedentium* (cf. Naegelsb. pg. 138).

2. Adiectivorum aut participiorum neutra vice substantivorum fungentia multa apud Frontinum occurrunt. In numero plurali haec repperi:

a) nominativi, accusativi, (ablativi): de aqu. 11, 5; 13, 8 *singula*; 13, 19 *discrepantia*; 26, 17 *expeditissima*; 30, 2 *summa* = allgemeine Uebersicht; 35, 24 *cultis* = bebautes Land; strat. I. praef. *singula et sparsa; notabilia;* 2, 6 *hostilia;* 4, 7 *abruptiora;* 5, 10 *abruptis (cinctus);* 5, 12 *superiora*; II. praef. *adversis;* 2, 11 *campestria;* 5, 31 *cogitata.*

b) Neutra a praepositionibus pendentia: de aqu. 11, 12 *in eminentiora;* 25, 1 *in conceptis*; 26, 2 *in acceptis;* 34, 15; 47, 1 *per singula.* — strat. 1. 5, 11 *in superiora;* 5, 17 *in tuta;* 8, 4 *per diversa;* II. 2, 11 *in plana;* 3, 23 *ad impedita;* 5, 18 *in plana;* 5, 24 *ad patentia;* 5, 35

[1]) Cf. Naegelsbach, Stilistik, ed. VIII. cur. ab J. Mueller, Nuernberg 1888, pg. 124.

per nota; III. 1, 2 *per confragosa et deserta*; 9, 3 *ad summa*; 10, 6 *per occulta*; IV. 1, 6 *in aestiva.*

c) Cum genetivo coniuncta haec adiectiva in numero plurali neutrius generis inveniuntur: strat. I. 3, 10 *in profunda silvarum*; II. 5, 39 *per silvestria viae.* — I. 11, 5 *pretiosissima rerum* (cf. Liv. 28, 22); III. 6, 5 *reliqua victoriae* (cf. Liv. 9, 16; 21, 1 *reliqua belli)*; 9, 3 *posteriora et vacua castelli*; 13, 8 *altissima aedificiorum.* — Uno loco insolenter positum est neutrum singulare substantivi instar, cf. de aqu 26, 2 *omne Juliae* (= summa quinariarum, quas Julia accipit). — Hic usus frequens est apud Tacitum (cf. Draeg. I. 455)

Numero singulari haec exempla usurpata sunt:

a) de aqu. 34, 23 *sereno*; 26, 2 *omne Juliae,* cf. supra. In strat. libris nihil eiusmodi inveni.

b) a praepositionibus pendent: de aqu. 11, 19 *ad subtile*; 11, 28 *in tantum*: 14, 9. 25; 15, 18 *in rotundum*; 15, 11 *in solidum*, 17, 23 *in rectum*; 22, 17 *in universo*; 23, 2 *in accepto*; 28, 22 *in tantum*; 43, 22 *in proximo*; 51, 22 *in reliquom*; — strat. I. 1, 7 *in posterum*; 6, 2 *in occulto*; II. 1, 7 *ex longinquo*; 2, 3 *ex edito*; 2, 5 *ex longinquo*; 2, 8 *per aliquantum*; 3, 14 *in aequum*; 3, 17 *in ultimo*; *in novissimo*; 3, 22 *in medio*; *in obliquum*; 4, 3 *ex diverso*; 5, 14. 31 *in propinquo*; 5, 31 *in remotissimo*; 5, 32 *ex occulto*; 6, 2 *in occulto*; 7, 14 *ex proximo*; 10, 2 *in propinquo*; 13, 11 *ex longinquo*; III. praef. *ex contrario*, 2, 6 *ad commune*; 8, 2 *ex composito*; 9, 10 *a diverso*; 10, 2 *in proximo*; 10, 4. 5 *in medio*; 10, 9 *in occulto*; 16, 2 *in posterum*; IV. 3, 15 *in unum*; *ex publico*; 5, 9 (= I. 5, 14) *in propinquo*; *in diversum*; 7, 19 *ex inopinato*; *in occulto*; 7, 36 *ex dubio*; *in reliquum.*

c) De genetivo cum his adiectivis coniuncto cf. pag. 59.

3. Iam transeamus ad eos locos, quibus adverbia permutata sunt adiectivis, qui usus inde a Livio frequentior fieri videtur (cf. Draeg. I. p. 352 sq.). Hos locos affero: de

aqu. 17, 9 *omnia certa et immobilia congruere sibi debent;* 26, 13 *lenior intrat;* 30, 23 sine dubio cum Dederichio legendum est *humilior oritur;* 34, 4/5 *qui timidi ducebant, securi fruuntur;* 35, 4 *editissimus veniat et abundans;* 35, 17 *inferior excipitur;* 43, 28 *inferior calix . . . superior ponatur;* — strat. I. 1, 2 *inopinatus appelleret;* 4, 6 *inopinatus traiecit;* 4, 9 *subitum transmisit exercitum;* 4, 13a *subitus evasit;* — II. 1, 12 *subitam necessitatem iniecit;* 3, 14 *subita consurrexit acies;* 4, 3 *subitus se ostenderet;* 4, 4 *subitus apparuisset;* 4, 9 *pavidi se receperunt;* 5, 8 *consedit occultus;* 5, 30 *refugit irritus;* 5, 31 *Pompeiani securi cogitarent;* — III. 2, 5 *improvisus incendit;* 9, 6 *improvisus accessit;* IV. 1, 1 *frequens iniungeret iter;* 1, 46 *legio . . . infrequens referretur.* — Pro voce *repente* nullo loco adiectivum legitur, pro adiectivo *subitus* saepius adverbium. Cf. II. 1, 6 *subito eduxit;* similiter II. 5, 14; 5, 22. 26. 34; 9, 10; III. 2, 2; 7, 4. — Cf. praeterea I. 8, 5 *legiones tutissime pervenerunt;* III. 17, 2 *Liguribus improviso adortis.*

4. Neque praetermiserim, de collocatione adiectivi *omnis* nonnulla dicere. Woelfflinus l. c. pg. 75 affirmat, adiectivum *omnis* a Frontino i. e. in tribus prioribus strateg. libris substantivis, adiectivis, pronominibus semper anteponi, cum in libro quarto etiam postponatur. Hanc discrepantiam inter tres priores libros et librum quartum non esse demonstravit Esternauxius l. c. pg. 10. Locos ab illo congestos, qui huc pertinent, repetere novisque exemplis augere mihi liceat. Nominibus antepositum est *omnis* de aqu. pg. 1, 1 *omnis res;* 1, 9 *omnis actus;* 11, 14 *in omnem partem;* 17, 6 *omnem aquam;* 18, 6 *omnes viginti;* 23, 6 *ante omnia capita;* 28, 1 *omnem aquam;* 30, 21 *omnium operum;* 36, 7 *omnis aqua;* 42, 6 *omnis aquae;* — strat. I. praef. *omnia monumenta;* 1, 9 *omni nuntio;* 2, 3 *omnique studio;* 4, 4 *omni illa . . . multitudine;* 4, 9a *omnes copias;* 5, 11 *omnia tentoria;* 5, 17 *omnibus impedimentis;* 8, 8 *in omnes eos;* 11, 5 *pro omnibus suis;* II. 1, 11 *omnibus impedimentis;*

2, 10 *omnem exercitum;* 3, 7 *omne momentum;* 3, 19 *in omnem partem;* 4, 2 *omni modo;* 4, 8 *omnis generis;* 4, 20 *omni imbelli turba;* 5, 12 *omni vino;* 5, 14 *omnibus esculentis;* 5, 30 *omnibus castrensibus;* 5, 31 *omnia impedimenta;* 5, 34 *omnes copias;* 5, 42 *omni milite;* 6, 7 *omnibus portis;* 11, 1 *omnis multitudo;* III. 2, 1 *omnibus copiis;* 2, 8 *omnis multitudo;* 3, 6 *omnes Romanos;* 6, 3 *omnibus suis;* 9, 10 *omni multitudine;* 10, 8 *omnia navigia;* IV. 5, 19 *omnia eadem;* 7, 19 *omnis naves;* 7, 20 *omne genus;* 7, 22 *omnis Hennenses;* 7, 27 *omnibus cohortibus.* —

Nominibus postpositum est *omnis:* de aqu. 18, 9 *fistulae omnes;* strat. I. 5, 15 *latera omnia;* II. 1, 4 *reliquis omnibus;* 3, 22 *cum auxiliis omnibus;* 7, 9 *ceteros omnes;* 13, 1 *aurum omne et argentum;* III. 15, 6 *frumentum omne;* 16, 3 *ipsi omnes;* IV. 7, 41 *cum copiis omnibus.*

Ex hac locorum enumeratione apparet, de collocatione vocis *omnis* librum quartum a tribus prioribus omnino non discrepare, sed plane perspicuum est, Frontinum vocem *omnis* nominibus plerumque anteponere.

5. Fritzeus l. c. pg. 29 annotat, et Frontinum et qui vocetur Pseudo-Frontinum adiectivum *universus* valde adamasse. Locis quos ille attulit: cf. I. 1, 2; 4, 9; 5, 6. 10; 9, 2; 10, 1; II. 1, 8; 5, 26. 33; 11, 15; III. 6, 6; 17, 27; IV. 7, 8. 17. 22. 33 adiungo II. 1, 18; de aqu. 1, 16. — Denique commemoro, nonnulla participia adiectivi *humilis* loco posita esse. Cf. de aqu. 11, 30 *iacentibus locis* h. e. *humilibus locis* (cf. Deder. pg. 179); item Tac. hist. 1, 86 *iacentia et plana urbis loca*; de aqu. 23, 22 *depressior* h. e. *humilior*; item strat. I. 5, 24 *depresso loco* i. e. humili loco (cf. Woelffl. l. c. pg. 73).

III. De pronominibus.

1. Pronomen possessivum *suus* Woelfflinus pg. 90 cum vocabulis cognationem significantibus (velut *frater, filius)* in libro strat. quarto coniunctum esse etiam iis locis contendit, quibus non maiore sententiae vi efferatur. Sed iam Fritzeus pg. 30 his locis pronomen *suus* non sine causa appositum esse demonstravit. Atque ex locis ab Esternauxio pg. 11 allatis, quibus illa cognationem significantia nomina invenimus, plane efficitur, ut libri tres priores et liber quartus in hoc usu pronominis possessivi *suus* omnino non differant. Nam in libris I—III ad illa nomina pronomen *suus* semel, in libro IV. bis (et quidem suo iure) appositum est, in libris I—III *suus* ter, in libro IV. sexies deest. Iam vero Esternauxius pg. 11 demonstrat, alia quoque substantiva in omnibus quattuor libris cum pronomine possessivo *suus* coniuncta esse, ubi causa non sit, ut ne auctorem quidem librorum I—III meliore dicendi consuetudine usum esse quam libri quarti contendi liceat. Hic liberior usus pronominis possessivi *suus,* quem exemplis quoque ex libr. de aquis petitis comprobare possum (cf. e. g. 28, 27; 33, 24; 34, 12; 37, 17 al.), non est scriptorum aureae aetatis, sed increbrescit apud aequales Frontini, invenitur autem iam saepius apud Velleium et inprimis in scriptis Corn. Nepotis, quod dicit Gundermannus l. c. pg. 324.

2. Woelfflinus pg. 76 dicit, nonnullis locis a Frontino pronomen *is* usurpatum esse, ubi nos articulum indefinitum ponere soleamus. Quo pertinent haec exempla: strat. I. 5, 10 *in eum locum compulsus;* 5, 21 *obsessus ea parte;* II. 5, 6 *in eis campis;* 5, 13 *in eis locis.* Str. I. 11, 4 *eius esse libertatis;* II. 5, 39 *eo vulnere adfecit.* Iniuria autem Woelfflinus in hoc pronominis usu libros tres priores et quartum librum inter se differre putat, cum in libro IV. huiusmodi exemplum non inveniatur. Nam primum exemplorum illorum numerus non est satis magnus, deinde in

libro quoque tertio tale exemplum deest; legimus autem str. IV. 5, 10 *demissum in eam vallem.* Hoc exemplum in libro IV. suum locum obtinere dixi h. c. pg. 9.

3. Non inutile est commemorare, et in strat. libris et in libris de aqu. pronomen *hic* etiam iis locis positum esse, quibus ad primam personam referri non possit; in optimo sermone usitatius est pronomen *is*, quamquam exempla pronominis *hic* ita usurpati non desunt. Haec exempla notavi: de aqu. 17, 7 *his quattuor, quos aquarii novaverunt*; 28, 23/24 *hanc . . copiam, quae supra scripta est*; str. I. praef. *hi qui . . . excerpserunt*: *ab his qui adstruent*; *in his quae . . . gerenda sunt*; 1, 6 *ex his qui videbantur*; 5, 10 *hi qui obsidebant*; 5, 11 *ex his unus, in quos;* 11, 2 *his qui contulissent;* II. praef. *in his quae agenda sunt;* 5, 17 *his quos relinquebat;* 5, 19 *cum his qui poterant;* 5, 31 *hi quoque qui;* 5, 45 *his quos relinquebat;* 7, 8 *ab his quos deserebant;* 9, 3 *his qui obsidebantur;* III. praef. *his qui obsidebuntur;* 3, 6 *his qui profugerant;* 12, 1 *his qui erant;* 15, 3 *hi qui obsidebantur;* — IV. 1, 16 *ad hanc . . . quae . . effecta est;* 1, 34 *ex his qui cesserant;* 1, 37 *ex his qui fuerant;* 1, 44 *his qui deseruissent;* 5, 9 (= I. 5, 14) *his qui mittebantur;* 7, 33 *hi qui erant.*

4. *Uterque* pronominis numerus pluralis non deest apud Frontinum, ubi meliores scriptores singulari uti solent, quod testantur haec exempla: strat. I. 6, 1 *per utraque latera;* 6, 3 *in utraque latera;* 12, 3 *utrasque partes;* II. 5, 32 *utrisque lateribus;* 12, 4 *in utraque viae latera.* Cf. Zechmeister[1]).

5. Meliorum scriptorum est, superlativum cum pronomine *quisque* coniunctum, si generis masculini vel feminini est, in numero singulari ponere. Posteriore quae dicitur aetate (cf. Draeg. I. pg. 102) pluralis crebrior fit. Apud Frontinum legimus strat. I. 4, 7 *firmissimos quosque;* 6, 3 *lectissimos quosque;* sed I. 11, 18 *infirmissimum quemque;* IV. 1, 8 *inertissimus quisque.*

[1]) Stud. Vindobon, vol. 5 pg. 249.

6. Saepissime a Frontino pronomen demonstrativum, quod pertinet ad sententiam relativam, omissum est. Eodem casu, quo positum est pronomen relativum, subaudiendum est demonstrativum: de aqu. 8, 8 *(ii) qui foderant, invenerunt;* similiter 37, 25; 51, 20; 44, 29 *ut ex compluribus regionibus (scil. in eam), in quam necessitas incubuerit, converti possit;* strat. I. praef. *ne* (scil. *is*) *trepidet qui; ne (is) comprehendat qui; quod scient (ii) qui;* similiter I. 10, 1; II. 5, 18 (bis); 5, 19. 30. 31; 6, 14; III. praef. *ut abundare* (scil. *ea*) *videantur quae deerunt;* 8, 12.

Pronomen demonstrativum alio casu subaudiendum est, a) in nominativo: strat. I. 8, 9; IV. 1, 8; b) in accusativo: de aqu. 39, 8 *(eos) subiungere qui;* strat. I. 2, 4 *miserunt qui;* similiter 4, 14; II, 2, 14 *misit qui indicaret;* 5, 22. 31; 6, 8; III. praef. *traditurus* (scil. *ea*), *quae usui sunt;* 12, 1; IV. 7, 9 *diffundendo* (scil. *ea*), *quae continuerant;* 7, 24 *misit qui diceret;* 7, 36; c) in ablativo: de aqu. 43, 10 *explicitis* (scil. *iis*) *quae;* str. I. 8, 12 *oppressisque* (scil. *iis*) *qui;* II. 5, 32 *dispositis qui;* 5, 33; III. 16, 4 *auditis quae pronuntiavit;* IV. 7, 8 *missis qui furarentur.*

IV. De numeralibus.

1. Cardinalia et ordinalia:

a) *duo.* Frontinus semper usurpat genetivum abbreviatum *duum* pro *duorum;* cf. aqu. pg. 5, 7; 6, 18; 7, 1; 7, 15; 8, 15; 9, 2. Formam *duorum* invenimus uno loco, quo in eisdem vocibus numeralibus iam forma *duum* exstat: pg. 9, 2 *viginti duum milium centum septuaginta duorum.*

b) numeralia 11—19.

Formam *undecumis* legimus de aqu. 13, 28.

Pro forma vulgari *duodecim,* quam legimus de aqu. 18, 3; 22, 7; 32, 2, Frontinus identidem insolite dicit *decem duo:* de aqu. 8, 15; 22, 18; 27, 5[1]).

[1]) Cf. Neue, de formis linguae lat. Berol. 1877. Vol. II. pg. 150.

Apud optimos scriptores, imprimis apud Ciceronem praeter usitatam formulam *tredecim* exstat forma *decem et tres* aut *tres et decem;* legimus apud Frontinum de aqu. 17, 1 *tredecim,* de aqu. 26, 7 *decem tribus.* — *Tertium decimum* de aqu. 8, 4.

Meliores scriptores ponere solent *quattuordecim, decem quattuor,* Frontinus item, cf. de aqu. 30, 4. 20; 31, 2; strat. IV. 2, 5. 7. 8; 5, 14 et de aqu. 8, 13; 23, 1; 24, 14. — *Quartodecimo* de aqu. 8, 20; *quartisdecumis* 13, 27; *quartamdecumam* 32, 15.

De aqu. 19, 17; 32, 7 *decem et septem.*

Omnibus locis exstat *decem et octo,* cf. de aqu. 23. 1; 30, 4. 8. 20; 31, 14; 32, 8. 16; 33, 7. Strat. II. 5, 37 legit Klotz *octodecim,* sed codices exhibent notam XVIII.

De aqu. 7, 5 *nono decimo.*

c) Cardinalia et ordinalia 21—,99 in optimo sermone ita composita sunt, ut aut voces numerales 1—9 numeris qui dicuntur denariis cum particula *et* praecedant aut eos sine *et* subsequantur. Frontinus in libr. de aquis voces numerales 1—9 denarios numeros sine *et* subsequentes facit, ut exempla innumerabilia docent; duobus tantum locis contra usum meliorum scriptorum particula *et* interposita est: de aqu. 10, 11 *nonaginta et unius* (10, 28 *nonaginta unum)* et 18, 6 *viginti et quinque* (23, 17 *viginti quinque).* Contra in libris strateg. legimus IV. 2, 6 *viginti quattuor,* cum I. 5, 21 *(quattuor et septuaginta)* et II. 5, 34 (sex et XX) numeri denarii postpositi sint.

Pro numeralibus 18, 19; 28, 29; 38, 39 .... 88, 89 in optimo sermone dici solet *duodeviginti (duodevicesimus), undeviginti (-vicesimus), duodetriginta* etc.; Frontinus autem semper usurpat formas *viginti octo, viginti novem, triginta octo, novem* etc., ut docent exempla: de aqu. 5, 7; 6, 18; 7, 13; 10, 22. 23; 24, 3. 11. 12. 15. 21; 25, 24; 26, 3; 30, 15. 16; 31, 6. 13; 32, 9. 24; 33, 1. 2. 7. Ordinalia legis 5, 10; 6, 8; 7, 5; 9, 21; 10, 19. Quae cum ita sint, coniectura Buecheleri, qui de aqu. 9, 12 pro lectione

in cod. C tradita *nonagesimo* in textum recepit *undenonagesimo,* valde in suspicionem vocanda est. Mea quidem sententia scriptura tradita *anno urbis conditae septingentesimo nonagesimo* servanda est, etsi alter annus (cf. de aqu. 9, 11) imperii C. Caesaris Caligulae, qui Tiberio (postridie Id. Mart. a. p. Chr. 37 defuncto) successit, ad annum p. Chr. 38, sive annum **789** a. u. c. secundum rationem. Catonianam, qua usus est Frontinus[1]), respondet, atque etiam M. Aquilam Julianum et P. Nonium Asprenatem, quos viros Frontinus non solum de aqu. 9, 12, sed etiam de aqu. 39, 14 commemorat, consules anni 789 (= 791 Varr.) fuisse satis constat[2]). Nihilominus hoc loco *nonagesimo* servandum esse censeo, cum *undenonagesimo* ab usu dicendi Frontiniano prorsus abhorreat. Hoc igitur loco Frontinum ipsum in uno anno rationem fefellisse nobis statuendum est, quod factum vidimus etiam altero loco: de aqu. 4, 13 *anno a. u. c. quadringentesimo octogesimo uno,* ubi expectatur annus 480 (= 482 Varr.), cum Spurius Carvilius et Lucius Papirius (cf. de aqu. 4, 16) consules anni 480 Cat. = 482 Varr. fuerint[3]).

d) Quod pertinet ad voces numerales quae sequuntur inde a 100, apud Frontinum semper maior numerus minori antecedit; nunquam autem singulis numeris particula *et* interposita est. Uno loco (de aqu. 6, 12) numerus 61 710 aliter compositus est *sexaginta milium et mille septingentorum decem.*

e) Indeclinabile *semis* omnibus locis numeris qui antecedunt sine particula *et* adiectum est, cf. de aqu. 6, 13; 7, 11; 30, 12; 31, 7. 10. 16, uno loco excepto quem Klotzius quoque laudat, de aqu. 6, 12. Atque etiam

---

[1]) Cf. C. Trieber, «Die Ära des Cato», Hermae vol. XXVII (1892) pg. 344.

[2]) Cf. Jos. Klein, Fasti consulares inde a Caesaris nece usque ad imperium Diocletiani, Lips. 1881, pg. 30.

[3]) Cf. Th. Mommsen, Corp. inscr. lat. vol. I. pg. 519. — Trieber, Herm., XXVII. pg. 344, adn.

substantivum *semis*, — *issis* sine *et* adiungitur, cf. 16, 19 *decem semissem;* 17, 4 *octoginta unam semissem.*

Alii numeri fracti cum vocibus numeralibus plenis particula *et* coniuncti sunt, cum singuli numeri fracti ipsi plerumque particula *et* omissa iuxta se positi sint. Cf.

aa) de aqu. 14, 23 *digitum unum et trientem digiti;* 14, 24 *scripulis tribus et besse scripuli;* 14, 26 *digitum unum et digiti semunciam sextulam;* 15, 12 *quinariam unam et quincuncem sicilicum;* 16, 15 *tribus et semuncia.* Buecheler hoc loco addidit *et quadrante,* sed fortasse iniuria, quod demonstrat P. Tannery.[1]) — Particula *et* omissa est pg. 16, 20 *tres septuncem;* 16, 21 *sexaginta sex sextantem;* 23, 15 *unius dodrantis; octo dodrans.*

bb) Complures numeri fracti iuxta se positi exstant de aqu. 14, 28 *septuncem semunciam sextulam;* 15, 12 *quincuncem sicilicum;* 16, 12 *semunciam sicilicum;* 16, 19 *semissem semunciam;* 16, 20 *septuncem semunciam sicilicum.* Huc accedit de aqu. 16, 13, ubi Buecheler praeeunte Poleno pro lectione tradita *ebesem* scripsit *quadrantem.* Tanneryus l. c. verisimilius coniecit, *ebesem* corruptum esse ex *et bessem;* si ita est, antea interciderunt complures voces, quod facile fieri potuit, cum voces *semunciam sicilicum* quae repetendae sunt, brevi antea iam exsistant. Tanneryus igitur coniecit *sextantem semunciam sicilicum et bessem.* Haec computatio hoc loco bene quadrat. Ad vocem *bessem* supplendus est genetivus *sicilici,* qua de causa particula *et* posita esse videtur; cf. supra sub aa), ubi numeri fracti numeris plenis cum particula *et* appositi sunt genetivo partitivo adiecto. — Contra usum dicendi Frontinianum particula *et* interposita est de aqu. 16, 18 *bessem et semunciam;* at ne haec quidem lectio omni suspicione caret, cum codex C exhibeat *bese et semunciam,* quod fortasse melius in *bessem semunciam* mutandum est. — Atque etiam 16, 15 legimus nunc *semisse et semuncia,*

[1]) Revue de philologie. N. S. 13 (1889), pag. 71—72.

sed voces *et semuncia* ab eodem Buechelero additae sunt quod inutile esse Tanneryus l. c. censet, cum hoc loco de vicenaria fistula agatur, quae in diametro quadrantes viginti i. e. digitos quinque habeat.

Reliquis locis numeri fracti notis expressi sunt; cf. de aqu. cap. 39—63.

2. Numeralia adverbia. Unum exemplum inveni de aqu. 5, 20: *sestertium milies octingenties.*

3. *Mille* cum genetivo coniunctum non exstat apud Frontinum, sed similem constructionem invenimus strat. IV. 2, 9 *trecentis Lacedaemoniorum.* Haec est constructio rarissima; cf. Draeg. I. pg. 107. Neque dubito quin scriptor exemplis quinque antecedentibus, in quibus omnibus *milia* cum genetivo leguntur, seductus sit, ut quasi imprudens hoc quoque loco genetivum poneret.

Neque omittam commemorare, in libr. de aqu. ad *milia* permultis locis substantivum non in genetivo sed in eodem casu quo *milia* positum esse, si voces numerales substantivo postpositi sunt; cf. de aqu. 24, 20 *quinarias quattuor milia sexcentas nonaginta;* 24, 21. 28; 26, 26; 27, 4. 15. 22: 28, 3. 4/5; 30, 7. 9. 13. 14. 16. 20; 32, 14 *reliquae quinariae duo milia;* 33, 2. — *Milia* cum genetivo secundum consuetudinem scriptum: de aqu. 25, 1 *quinariarum tria milia ducentae nonaginta quinque;* 25, 9; 26, 15. 27; 28, 10. — In libris strat. *milia* semper cum genetivo coniunctum est.

4. Frontinus pro formis *primum, tertium, quintum* etc. adamavit *primo, tertio, quinto.* Cf. de aqu. 8, 3 *tertio consul;* strat. I. 8, 3 *quinto consul;* IV. 1, 4 *milites primo . . . adacti sunt, antea enim . . .;* etiam aliis locis forma *primo* praefertur; cf. strat. I. 6, 1 *legionem primo ire, ultima sequi iussit impedimenta;* IV. 5, 15 *P. Decius, primo pater, postea filius se devoverunt.*

5. Hoc loco non alienum erit subiungere, quas formas Frontinus in rebus enumerandis adhibuerit. Cf. str. I. 4, 9 *primum . . . deinde;* II. praef. —, *et deinde;* 2, 14 *primum*

. . . *deinde;* III. praef. *prius . . . . tum;* de aqu. 22, 12 sqq. *nunc . . . . deinde;* 12, 7 sqq. *summus . . . inferior . . . . dein;* 28, 10 sqq. —, —, *etiam . . denique;* 25, 17 sqq. *primum . . . deinde . . . praeterea;* 2, 7 sqq. *primum . . . tum . . . dein . . . . post . . . (denique* addidit Schultzius) . . —, —; 11, 16 sqq. superlat. *(altissimus) . . . proxima . . . tertium tenet locum . . . quartum . . . dehinc . . . . sextum tenet locum . . . sequitur . . . . deinde . . . . omnibus,* quae vox pendet ex comparativo *humilior;* 47, 26 sqq. *primum . . . dein . . . novissime.*

V. De adverbiis.

1. In adhibendis adverbiis Frontinus in universum cum optimis scriptoribus consentit; adverbia, quae magis ad posteriorem aetatem spectant, non multa sunt. Annotavi e. g.: de aqu. 11, 17; str. II. 7, 6 *dehinc,* quod non exstat apud bonos prosae orationis scriptores (cf. Draeg. I. pg. 123); *subinde* (cf. h. c. pg. 27), quod a Caesare, Cicerone, Nepote non usurpatur, primum apud Livium invenitur (Draeg. l. c.); str. I. 8, 7; 11, 10; de aqu. 28, 10 *alioquin,* 17, 23 *alioqui,* apud bonos scriptores prosae orationis inusitatum (Draeg. I. pg. 112 et 123); strat. I. 10, 1 (= IV. 7, 6); 10, 2 *inconsulte,* quod primum apud Sallustium invenitur, tum inde a Livio percrebrescit (Draeg. I. pg. 122); strat. II. 5, 47 *agiliter* (Draeg. I. pg. 113); de aqu. 15, 10 *puta* (Draeg. I. pg. 326).

2. Non inutile est enumerare ea adverbia, quae Frontinus amore quodam amplexus est. Fritzeus pag. 29 laudat *velut* et *deinde.* Legitur *velut* de aqu. 11, 9; 14, 6; 30, 1; 37, 17; strat. I. praef. *(velut* et *veluti);* 4, 12 *(veluti);* 5, 10; II. 3, 14; 4, 5; 5, 2. 10 *(veluti).* 13. 18 (hoc loco tamquam coniunctio adhibitum); 5, 19. 24. 31. 38; 11, 3; III. 6, 3; 8, 2; 9, 3; 13, 6; 17, 6; IV. praef.; 1, 14. 25. 43. *Deinde,* quod in conformatione exemplorum multum valet — nam hoc adverbio temporis, quod plerumque cum particula *ac*

coniunctum est, et aliis ut *tum, protinus* saepius eventus strategematis adnectitur, cf. Estern. pg. 15 — in libris I—III. circiter quadragies, in libro IV. decies adhibetur, cf. Fritzeus pg. 29. Hoc adverbium omnibus fere locis primo enuntiati vocabulo postpositum est, quod exemplis ex libris de aqu. quoque petitis demonstrari potest. — Huc accedunt alia: *subinde* permultis locis, cf. de aqu. 16, 22; 40, 10; 44, 8; 45, 19; strat. I. 3, 10; 4, 13a; II. 2, 10; 4, 20. 23; 5, 18. 31; 9, 1; III. 2, 2; 6, 1; 9, 7; 13, 7; IV. 1, 1; 7, 13 (bis); — *protinus* de aqu. 41, 4; strat. I. 10, 4; II. 1, 2. 14; 2, 3. 4; 5, 4; 7, 6. 12; III. 3, 6; IV. 7, 13, — *adsidue* de aqu. 16, 17; strat. I. 4, 8. 9; II. 1, 4. 5. 6; 3, 4; — *avide* de aqu. 6, 7; strat. I. 10 3; II. 3, 7; 5, 8. 12. 16; III. 10, 1; 17, 4; — *novissime,* quod apud meliores scriptores raro usurpatur, exstat de aqu. 47, 26; strat. II. 3, 9; 4, 2; III. 6, 1.

3. Adverbiis *nunc* et *tum,* ut sensum eorum validiorem facerent, scriptores latini omnium temporum voces *cum maxime* adiecerunt (cf. Draeg. I. pg. 128). Apud Frontinum autem eadem significatione legimus *cum maxime* voce *tum* omissa. Hanc enim lectionem Gundermannus codicibus optimis suadentibus restituit, cum editiones priores *tum cum maxime* praeberent. Cf. strat. II. 9, 5 *quod cum maxime habebant barbari;* III. 11, 4 *sacrificio cum maxime occupatos.* Atque etiam strat. IV. 5, 2 antea legebatur *tum cum maxime animis tumentibus,* quam elocutionem falsarium illum Frontino sollerter surripuisse iudicavit Woelfflinus l. c. pg. 88. Editio Gundermanni hoc loco exhibet tantum *maxime.*

4. Jam commemoro, uno loco adverbium *comminus* cum praepositione *cum* coniunctum esse, quod nullo alio loco, quantum scio, invenitur: strat. II. 5, 34 *bina castra comminus cum hostium castris vallavit.*

5. Adverbia *ita* et *sic* a Frontino tamquam particulae conclusivae adhibentur, ut effectum sive eventum strategematis narrati significet. In his clausulis adhibendis modo

legitur modo deest particula copulativa. Affero exempla ab Estern. pg. 15 et Fritzeo pg. 27 congesta nonnullis a me additis:

a) *atque ita:* strat. I. 4, 7; 5, 1. 6 (ubi medio in exemplo sententiarum clausula describitur); 5, 8; 6, 1; 9, 1; 11, 19; II. 1, 2. 12. 14; 2, 5 (medio in exemplo), 3, 6. 8; 4, 10; 6, 5; 9, 3; 11, 7; 12, 3; 13, 9; III. 3, 1; 7, 4; 15, 6; praeterea de aqu. pg. 6, 4; *et ita:* strat. I. 6, 3; 10, 3 (medio in exemplo); II. 7, 10; *itaque:* str. I. 2, 8;

ita: str. I. 1, 9; 3, 5 (ita factum est, ut); 9, 3; II. 2, 10; 3, 3. 4; 5, 25. 31. 42; 7, 3; 10, 2; III. 6, 1;

b) *ac sic:* str. I. 11, 8; *et sic:* str. I. 10, 2; IV. 7, 24. 32. 40 (= II. 4, 15)[1];

sic: str. I. 3, 8; II. 5, 31.

Ex hoc conspectu locorum apparet, in libro quidem quarto non exstare clausulam adverbio *ita* expressam (cf. Woelffl. l. c. pg. 74 sq.), sed in libris I—III aeque atque in libro IV. eventum strategematon clausula *sic* indicari, quod fieri Woelfflinus l. c. denegaverat. Neque vero recte iudicasse Woelfflinum, cum dicit, de exemplorum structura inter libros tres priores et librum quartum magnam dicendi diversitatem esse, cum clausula *atque ita* etc. non exstet in libro IV., plane intellegitur ex multis aliis clausularum generibus, in quibus adhibendis libri I—III et lib. IV. tam mire inter se concinunt, ut de communi auctore libr. I—III et libri IV. vix dubitari possit. Cf. Fritze pag. 27 et 28 atque Estern. pg. 14 sq., quorum argumentationibus plenis ac perfectis aliquid adiicere supersedeo.

6. Denique pauca dicere mihi liceat de collocatione adverbiorum, qua in re proprietatem quandam dictionis Frontinianae me observasse existimo. Hartelius (cf. St. V. vol. 6. pg. 107), ut coniecturam suam *recepit omnes tuto eisque*

[1]) Wachsmuthius pg. 577 et Fritzeus pg. 22 et 23 exempl. IV. 7, 40 = II. 4, 15 in libro II. principalem locum obtinere credunt, sed. cf. huius comm. pg. 8.

(str. I. 10, 2) fulciat, tres locos affert, ubi adverbium verbo suo postpositum est. Cf. str. I. 10, 3 *insecuti avidius;* II. 1, 7 *procurrere effuse;* 5, 38 *flexit repente;* sed haec exempla rarissima sunt, annotavi praeterea str. II. 7, 4 *dimisit propere* et III. 3, 4 *procursando propius* (hanc scripturam equidem verisimillimam esse puto; codd. GH exhibent *procurando priusquam,* cod. P pro *priusquam* praebet *propius;* Gunderm. scripsit *procurrendo propius,* Hartelius l. c. pg. 111 *procursando propius obviam* legi vult, Schanzius in Philol. vol. 48. pg. 678 *adiuvaret perquam procursando).* Contra in iis constructionibus, quibus participia adiuncta sunt, adverbium verbo suo postponi solet. Praemonendum enim est, a Frontino ablativos qui vocantur absolutos aliasque elocutiones participiales semper fere ita conformatas esse, ut verbum primo loco positum sit, quo ipso fit, ut adverbia (plerumque tempus significantia) verbis suis postponantur. Similiter adverbium interpositum est inter adiectivum (priore loco) et substantivum (velut in ablativo temporis et instrumenti). Conspectus locorum qui sequitur docebit, quanto amore hanc adverbii postponendi constructionem amplexus sit Frontinus:

de aqu. 1, 7 *per principes semper viros;* 33, 14 *sedula deinde partitione;* strat. I. 1, 10 *suscitandos festinanter muros;* 2, 2 *intemptatam ante militi;* 2, 7 *excipiendo ibi agmini;* 4, 11 *digressis deinde Romanis;* 7, 2 *tranato statim flumine;* 8, 7 *victis iam Carthaginiensibus; gratissimus alioquin;* 8, 9 *initio statim noctis;* 11, 2 *ampla insuper praemia; commisso statim bello;* 11, 10 *ingentis illic staturae; vastum alioquin;* 11, 20 *poscendum ultro signum;* 12, 11 *proficiscenti iam classi;* similiter 12, 12 *excusso ante navem fulmine; perterritis per tale prodigium militibus;* — II. 1, 2 *oriente protinus die; fervidissimo tunc tempore;* 1, 3 *quodam deinde tempore;* 1. 4 *levibus assidue proeliis; contemnente iam Poeno;* 1, 5 *eodem assidue tempore; inclinato deinde iam die;* 1, 6 *certis temporibus assidue;* 1, 9 *languentibus iam Atheniensibus;* 1, 15 *oriente statim*

die; 2, 4 *eorundem protinus pedites;* 2, 10 *desperantibus iam Carthaginiensibus;* 3, 10 *exceptum iam hostem;* 3, 14 *invectos temere hostes;* 3, 17 *in utroque deinde latere; triplicem deinde aciem;* 3, 22 *sex deinde cohortes;* 4, 5 *conserto iam proelio;* 4, 7 *commisso iam proelio;* 4, 17 *actis deinde bubus;* 5, 3 *emissa deinde armatura;* 5, 4 *conspecto deinde exercitu;* 5, 33 *prima deinde luce;* 5, 37 *paucos admodum milites;* 5, 38 *brevissimum deinde spatium;* 7, 2 *commisso iam proelio;* 8, 12 *cedentibus iam legionibus;* 9, 1 *sublatis subinde clamoribus;* 9, 7 *habilioribus iam suis;* 9, 8 *circumactis extemplo navibus;* 13, 5 *audito deinde fragore;* 13, 7 *digressis inde Parthis;* — III. praef. *expleta iam pridem inventione;* 1, 2 *victoribus deinde suis;* 2, 1 *inductis ita oppidanis;* 6, 1 *deductis undique praesidiis;* 6, 5 *captum iam Poenum;* 9, 4 *occurrentibus deinde hostibus;* 9, 8 *aliis deinde turribus;* 10, 2 *insecutisque temere oppidanis;* 15, 1 *in extrema iam fame;* 17, 2 *fatigato iam hoste;* 17, 6 *praesumpta iam victoria.* — Neque alienus est hic usus ab auctore libri IV.; cf. 1, 1 *exprobrante deinde imperatore;* 5, 17 *reciperato demum gladio;* 7, 8 *missis undique qui;* 7, 19 *quodam deinde tempore* (cf. II. 1, 3); 7, 34 *certis cotidie horis;* 7, 39 *perculsis ita animis.* — Rarissima sunt exempla, quae ab hoc usu Frontiniano dicendi abhorrent; cf. strat. I. praef. *adhuc institutae operae;* II. 1, 13 *semper inclinato die;* 3, 16 *iam fessos Romanos;* 5, 2 *deinde simulato timore;* 5, 12 *nocte deinde intempesta.* III. 4, 6 *deinde data opera.*

VI. De verbis.

De verbis non multum habeo quod dicam, quia Frontinus in hac re ab optimorum scriptorum usu non valde discedit.

1. Verba simplicia Frontinus non saepe adhibuit, cum composita apud scriptores aureae aetatis usitatiora sint (cf. Draeg. I. pg. 137). Hos locos respicias: de aqu. 2, 18 *ducere* i. e. *deducere* (sed haec est coniectura Schultzii); 7, 21 *haurire* i. e. *exhaurire* (cf. Deder. pg. 166); 10, 4 *capere* i. e. *recipere* (cf. Ded. pg. 172); strat. I. 5, 3 *struere* i. e. *exstruere*, quod legitur I. 5, 8, sicut apud Tac. ann. 2, 18 (cf. Draeg. I. p. 138); str. III. 17, 6 *tendere* i. e. *contendere* (cf. Draeg. I. p. 137); III. 16, 3 *pensare* i. e. *compensare;* de aqu. 36, 23 *ponere* i. e. *imponere* (cf. strat. I. 3, 8).

Verbum compositum Frontinus usum scriptorum argenteae aetatis secutus recepit, ubi simplex requiritur: de aqu. 42, 13; strat. I. 9, 2 *annuntiare* i. e. *nuntiare* (cf. Woelffl. pg. 90).

In verbis, quae absolute ponuntur, adhibendis Frontinus non dissentit a Caesare, Sallustio, Livio. Haec verba inveniuntur: *ducere, educere, reducere, producere, perducere* (de aqu.), *traiicere, transmittere, appellere* (uno loco: str. II. 7, 14), *sustinere* (cf. Zechm. l. c. pg. 243), *tendere* (in libr. IV.), *vastare* (str. I. 6, 2); *instare.*

2. Commemoratione digna sunt ea verba quae in libr. de aqu. pariter atque in libris strateg. usurpata sunt, ut duo haec opera idem dicendi genus prae se ferre facile appareat. Cf. *extrahere* i. e. *differre, procrastinare*: de aqu. pg. 3, 17 *extraxisse censuram;* strat. I. 1, 10 *aliquantum temporis extraxit*; I. 5, 19 *dies aliquot extraxit* (cf. Deder. pg. 151 et 152); *explicare* eodem sensu quo *peragere,* cf. de aqu. 46, 6 *haec opera sollicita festinatione explicanda sunt;* str. II. 3, 14 *quod ubi explicitum est* (cf. Ded. pg. 223); *vocitare:* de aqu. 9, 19 *Anio novus vocitari coepit;* str. IV. 5, 10 (= I. 5, 15) *plurimi Calpurnium . . . vocitatum scripserunt* (cf. Woelffl. l. c. pg. 76); *convulnerare* de aqu. 15, 5 *ne rivus saepius convulneretur;* 44, 12 *has comperi . . . passim convulneratas;* strat. II. 5, 31 *et convulnerant confunduntque* (cf. Woelffl. pg. 72); *consummare* idem significat quod apud scriptores aureae aetatis *conficere*: de aqu. 3, 18 *viam et aquae ductum consummaret;* similiter 5, 21; 9, 14 al.; strat. I. 11, 2; II. praef.; 3, 13. 17; III. 6, 5; IV. 3, 12 *milites consummati* (ad tempus stipendiorum spectans).

3. Jam vero ea verba adiungere mihi liceat quae libri quarti scriptor eodem modo quo auctor libr. I.—III. adhibuit. Fritzeus l. c. pg. 29 commemoravit *compellere* et *infestare*. Legitur *compellere* strat. I. 2, 2; 5, 10; 7, 2; 11, 20; II. 1, 12; 2, 14; 3, 1; 6, 5; 9, 6. 8; III. 4, 6; 7, 1; 15, 6; IV. 4, 2; 5, 21; *infestare:* strat. I. 3, 9; 5, 3; 8, 4; II. 1, 18; 3, 16; 5, 31; 11, 4; 13, 7; III. 6, 1; IV. 7, 13. Jam vero Zechm. l. c. pg. 247 affert *avertere*, quod legitur strat. I. 8, 4; 1, 7; II. 1, 7; 2, 3. 4. 12; 3, 3. 17. 22; 4, 10. 20; 5, 31. 41. 44; 6, 5. 6; 8, 7; 13, 10; III. 10, 1; 17, 9; IV. 1, 29. Locis, quos attulimus, hostes dicuntur averti; flumen averti dicitur sicut permultis locis libr. de aquis: strat. III. 7, 1. 2. 4. Deinde affero *destinare:* strat. I. 4, 3. 12; 5, 11; 8, 6; 11, 6; IV. 6, 2; *ordinare:* strat. I. 4, 13a; 6, 3; II. 2, 8; 3, 3. 4. 17. 20; 5, 38. 46; IV. 1, 8; (*ordinatio:* de aqu. 43, 10 al.; str. II. 3, 22; IV. 1, 14; *ordinare* exstat quoque de aqu. 35, 14; 43, 27 al.); *adventare* praeter verbum *advenire* usurpari solet (cf. Woelffl. pg. 88): strat. I. 3, 6; 5, 8; II. 4, 5. 20; 5, 16. 39; 9, 2; 12, 2; III. 9, 4; 17, 6; IV. 7, 31; *exauctorare* i. e. *dimittere:* str. I. 9, 4; IV. 5, 2; 6, 4.

4. Obiter perstringam, Frontinum forma usitatiore *accerseretur* usum esse de aqu. 35, 10; str. II. 7, 4 (sic distincte praebet cod. H); sed legitur strat. I. 9, 3 *arcessiri*. Cf. Zechm. pg. 249.

5. Denique adiicio, nonnullis locis *foret* et *forent* non solum in libris strat. I—III, sed etiam in libr. IV. posita esse pro *esset* et *essent*. Cf. strat. I. 1, 10 *ipse remissus foret;* 2, 2 *cum adhuc incognitae forent;* 2, 8 *quid rei foret;* 12, 9 *quidquid illud foret;* II. 2, 13 *nec superati forent;* 12, 1 *cum adgress[ur]i forent;* 12, 3 *qua conspicui forent;* III. 9, 3 *ut prospectus . . . facilior foret;* 16, 2 *ut . . . forent suspecti;* 16, 3 *quae praedatum forent missa;* IV. 4, 2 *in qua opera pretium foret;* 6, 3 *tibi capital foret;* 7, 9 *pondere foret noxius* (cf. Woelffl. pg. 88).

De enuntiato simplici.

I. De subiecto et praedicato.

1. Constructiones ad sensum quas vocant *(κατὰ σύνεσιν)* a Frontino nusquam ita admittuntur, ut verbum praedicati in numero plurali positum ad nomen collectivum singulari usurpatum in eodem enuntiato referatur. Nam de aqu. 2, 8/9, quo uno loco pronomen *quisque* cum verbo praedicati plurali usurpato scriptum videbamus, cum Buechelero nunc legimus: *per quos quaeque earum . . . . perducta sit.* — Sed in enuntiatis subordinatis interdum subiectum cum praedicato in numero plurali coniunctum exstat, ad vocem sententiae principalis collectivam singulari usurpatam pertinens. Cf. strat. II. 7, 11 *ea parte cedente, quod occisum crederent consulem;* II. 11, 3 *Alexander . . perdomitaque Thracia petens Asiam, veritus, ne post ipsius discessum sumerent arma, reges eorum . . . secum velut honoris causa traxit,* similiter II. 3, 22 *triplicem instruxit aciem, quarum singulae denos ordines . . . habuerunt.* Simili constructione Frontinus utitur, ubi obiectum refertur ad notionem sententiae primariae collectivam, strat. III. 1, 2 *potiri se oppido posse, si inopinatos* (quod recte suppeditat H, cf Hart. St V. vol. 6. pg. 101) *invaderet.* Neque aliena est talis constructio ab auctore libri IV. cf. 7, 28 *agmini praecepit, incenderent pontem.* — Sed in hac constructione usurpanda Frontinus cum melioribus scriptoribus consentit (cf. Draeg I. pg. 173 et 174).

Neque constructionem *κατὰ σύνεσιν* ad genus spectantem Frontinus adamavit. Nam apud pluralem *milia* nomen praedicativum semper in neutro genere positum est, quod iam

Zechm. St. Vind. vol. 5. pg. 238 observavit. Cf. strat. I. 2, 7 *decem milia Boiorum imminere, eaque . . . . circumfudit;* II. 3, 21 *apud Romanos quinque milia desiderata sunt;* IV. 2, 8 *quattuordecim milia . . . incolumia reversa sunt;* quam ob constructionem ab editoribus recte scriptum est IV. 2, 7 *centum milia proelio superata* (H praebet *superati) sunt.*

Unum exemplum mentione dignum est, quo notio collectiva singulari usurpata ad vocem in plurali positam adiecta est: str. II. 3, 1 *Hispani, robustus miles.*

2. Verbum praedicati, ubi complures partes subiectivae in enuntiato exstant, cum extrema parte subiectiva congruit (cf. Draeg. I. pg. 177) uno loco de aqu. 33, 19 *quibus nunc plures aquae et inprimis Marcia reddita . . . perducitur.*

3. Pluralem numerum a particulis disiunctivis *seu — seu* pendentem facere Frontinum uno loco, iam dicit Draeg. I pg. 178. Cf. de aqu. 1, 2 sq. *cum . . . me seu naturalis sollicitudo seu fides sedula . . . instigent.* Eodem loco dicit Draeg. numerum pluralem a particulis *tam — quam* pendere de aqu. 49, 2/3, ubi editio princeps exhibebat *tam res publica quam privata haberent (publica quam privata* C). Buecheler autem hanc lectionem mutavit in *respublica privatique haberent,* sed fortasse melius scribitur *qua respublica qua privati haberent.*

II. De ellipsi verbi.

Cum Frontinus brevitate quadam elocutionis excellat, non mirum esset, si ellipses multae in eius scriptis inveniremus. Sed excepto verbo substantivo alia verba non saepe omittuntur. Cf.

1. de aqu. 8, 14 *ex eo* (scil. *ducitur* vel *venit);* 12, 8 *dein Marcia* (scil. *sequitur* nam *est* hoc loco non quadrat); 42, 25 *quam ex quo* (scil. *eam duci oportere,* quae verba supplenda sunt ex sententia negativa subsequenti) *epistula principis continebit.* — Strat. I. 4, 3 *iter quo* (scil. *ire* vel *proficisci destinaverat;* II. 8, 11 *nisi cum hostibus* (scil. *dimicare) maluissent;* 5, 31 *eam . . . . a levi armatura infestari* (scil. *iussit,* quod ex subsequenti *vetuit* quamvis dure addendum est); 5, 7 *ex latrone dux Celtiberorum* (scil. *factus).*

2. Omnes aliae ellipses spectant ad verbum substantivum, quod in omnibus Frontini scriptis persaepe omissum est.

a) Indicativus deest his locis: de aqu. 5, 22 *spatium praeturae . . . prorogatum* (scil. *est);* 9, 17 *alteri nomen Claudiae datum* (sc. *est);* 9, 20 *priori Anioni cognomen veteris adiectum* (sc. *est);* 38, 2/3 *insignia concessa* (sc. *sunt) deque eorum officio . . . consultum factum* (sc. *est);* 42, 20 . . *ac iure cautum* (scil. *fuit);* 43, 2 *quod beneficium . . . tribui solitum* (scil. *est);* 38, 1 *cui adiutores dati* (sc. *sunt);* 40, 11 *ductus extra urbem circumeundi* (sc. *sunt).* — Strat. II. 5, 31 *curatum quoque* (scil. *erat);* II. 5, 34 *spolia, inter quae quinque fasces* (scil. *erant);* II. 3, 21 *dimidia pars amissa* (sc. *est);* III. 8, 3 *tum prima luce . . . muros adgressus* (scil. *est,* quod meliores codices omittunt, deteriores addiderunt); de aqu. 40, 12 *idem faciendum* (sc. *est);* 45, 21 *plerumque tamen sustinenda* (sc. *sunt).*

b) Infinitivus praesentis saepenumero subaudiendus est. Cf. de aqu. 1, 10. 11; 5, 20; 6, 1. 3; 7, 17; 13, 14; 14, 12; 23, 4; 40, 25. 26; 44, 6. 20; 47, 4; 51, 17; — strat. I. 1, 1 (bis); 1, 4 (bis); 1, 5. 6. 7. 8. 9. 10; 2, 2. 3. 9; 4, 3. 5. 10. 14; 5, 10. 14 (bis); 5, 17. 19; 6, 1. 3; 8, 6. 9; 10, 1. 3. 4 (bis); 11, 1. 2 (bis); 11, 3. 5. 6. 7. 9. 16. 18; II. 1, 3 (bis); 1, 11. 13; 2, 13. 14 (bis); 3, 1. 2. 13. 21; 4, 3. 9 (bis); 4, 10; 5, 8. 20. 21. 29. 31 (ter); 5, 34. 37. 45; 6, 1. 6. 10; 7, 2. 3. 9. 10. 11. 13; 9, 6; 10, 1; 12, 4; 13, 3; III. praef. 1, 2; 2, 4; 5, 1 (ter); 6, 1. 4. 5 (bis); 8, 1. 2. 3. 5; 10, 5; 11, 1; 12, 1; 16, 3 (ter); IV. praef.; 1, 4. 8. 43; 2, 9; 3, 9. 13; 4. 1. 2; 5, 1. 12. 14; 6, 2. 4; 7, 3 (bis); 7, 17. 18. 22. 24. 38. 39. 42. — Sane quidem

apud optimos quoque scriptores infinitivus *esse* omitti solet, neque vero tam saepe. Accedit quod Frontinus quam brevissime verba exprimere studens infinitivum *esse* etiam iis locis omisit, quibus meliores scriptores eum ponere necesse est, cf. de aqu. 13, 14 *sed rationis existimo;* similiter strat. IV. 2, 2 *quia certioris disciplinae arbitrabatur.*

c) Similem breviloquentiam reperimus nonnullis locis, quibus Graeci scriptores participium verbi substantivi (cf. Draeg. I. 462, qui laudat Sall. Jug. 1) ponere solent, Romani sententiam relativam. Cf. de aqu. 8, 22 . . . *perducendi Alsietinam aquam . . .*, *nullius gratiae* (scil. οὖσαν, participium causam significat), *immo etiam salubrem* (scil. οὖσαν); 9, 25 *accepit et eum fontem qui vocatur Albudinus, tantae bonitatis* (scil. ὄντα vice sententiae relativae fungentem). Similiter strat. I. 11, 10 *animadvertisset lucum, ex quo . . . poterat, densissimae opacitatis, vastum alioquin et Diti patri sacrum* (scil. ὄντα); IV. 7, 14 *onerarias naves, non magni ad alia usus* (scil. οὔσας), *accensas.* Gravissimum est auctorem libri quoque quarti in hoc ellipsis vel breviloquentiae usu cum Frontino consentire.

III. De usu temporum et modorum.

1. Primum mentione dignum est, praesens historicum ab usu Frontiniano in universum abhorrere, quare tempus perfectum ab editoribus recte retentum vel leni mutatione restitutum est locis velut strat. I. 1, 1 *credidit* (sic GH); 9, 1 *sparsit* (sic H, *spargit* P); II. 3, 3 *circumiit (circuit* H^1, *circumit* h) *et avertit;* 7, 6 *finiit* (sic d, *finit* HP); 11, 2 *petiit* (sic d, *petit* CGHP); III. 4, 3 *simulabat* (*simulat* P, *simulavit* edd.) *pacem petiitque ab iis* (sic edd., *petitque* HP); IV. 5, 17 *rediit* (sic d, *redit* GHP); 7, 22 *petiit* (sic edd., *petit* GHP); 7, 26 *quo facto effecit* (*efficit* H); eodem loco *diffudit* (*diffundit* GH). Cf. de his exemplis Hartel. St. Vind. vol. 6. pag. 103. Atque etiam strat. I. 5, 13 Gundermannus codicum HP lectionem

inflectit mutavit in *inflexit,* quod eum recte quidem fecisse puto, sed falsum est, cum dicit ille, Frontinum praesenti historico numquam usum esse (cf. praef. edit. § 12). Nam Gundermannus ipse str. III. 9, 2 servavit lectionem *iussa peragunt,* quo loco Hartelius l. c. praesens historicum removeri vult scribendo: *[dum] hi adiuti . . iussa peragunt.* Jam vero legimus strat. II. 5, 31 *iubet . . . faciunt . . . abscondunt . . . iubent . . . effunduntur et convulnerant confunduntque . . . . erumpunt . . . . consternant avertuntque . . . . caedunt.* Sed in hoc exemplo, quod amplitudinem omnium reliquorum strategematon excedit atque in longiorem rei gestae narrationem se convertit, praesens historicum narrationis colore excusatur, cum ex sedata oratione efferatur auctor in orationem paulo fervidiorem.

2. Deder. pg. 298 commemorat, praesentis indicativum a Frontino positum esse, ubi coniunctivus exspectetur, de aqu. 44, 5 *vetus relinquunt, quo venalem extrahunt aquam;* 48, 2 *arbores magis nocent, quarum radicibus concamerationes et latera solvuntur.* 'Modus indicativus est simpliciter narrantis et referentis.'

3. Tempus futurum omnia tempora quasi complectitur de aqu. 42, 25 *impetratam aquam . . . ex alio castello, quam ex quo epistula principis continebit, duci palamst non oportere.* — Legis ritu pronuntiatum est tempus futurum 44, 28 *homines in urbe . . . . opera quaeque urgebunt.* (Cf. Deder. pg. 220 et 216).

4. Participium futuri cum *forent* coniunctum quod editiones priores exhibent, retinuit Gundermannus strat. II. 12, 1 *cum Volsci eius castra adgressuri forent* collato Liv. 2, 64, quamquam codices GHP praebent *adgressi.* Exempla huius usus congesserunt Neue, de form. ling. lat. II. pg. 381 et Draeg. I. pg. 291 et 292.

5. Plusquamperfectum positum est pro perfecto (cf. Draeg. I. 259 et 260) de aqu. 1, 9 *potissimum existimo, sicut in ceteris negotiis instituerat, nosse quod*

suscepi; 45, 17 *ad tutelam ductuum, sicut promiseram*[1]*), divertemus.*

6. Coniunctivus plusquamperfecti pro imperfecto. Hoc usu scriptorem libri IV. strat. a Frontino differre affirmavit Gundermannus (cf. quaest. pg. 324), nam cum liber quartus quinque locis, quibus coniunctivus imperfecti exspectaretur, plusquamperfectum praeberet, in libris I—III nullum huiusmodi exemplum inveniri. Exempla, quae affert ille, haec sunt: IV. 1, 44 *ne quis . . . in Italiam reportaretur, dum Poeni in ea fuissent,* (Hartel., St. V. 6. pg. 116 pro *in ea fuissent,* quod codices tradunt, coniecit *inde exissent* ex *iñ exissent); 5, 7 id sibi animi esse, etiamsi nemini ad erumpendum audacia fuisset, adfirmantes;* 3, 3 *Atilius Regulus, cum summis rebus praefuisset, adeo pauper fuit ut . . .;* 7, 7 *exercitus suos visendos speculatoribus eorum, quotiens voluissent, patere;* 7, 17 *qui sagulis ferreas fibulas habuissent, interfici iussit.* Apud scriptores posterioris aetatis, atque, si exciperetur auctor belli Hispaniensis, inde ab Apuleio demum hanc dicendi consuetudinem percrebrescere censuit C. Sittl.[2]) Sed cum ea quidem verba, quorum in tempore praesenti vis quaedem incohativa inest, sicut *velle, posse, esse, habere* eodem modo adhibita iam apud Vitruvium, Curtium aliosque

[1]) Woelfflinus obiurgat auctorem libri IV. strat. de iactatione quadam sui atque ostentatione, quae a Frontini natura aliena sit; talem iactationem inesse putat ille in verbis libri IV. praef.: *multa lectione conquisitis strategematibus et non exiguo scrupulo digestis, ut promissum trium librorum implerem . . . hoc exhibebo ea quae . . .*; sed praeterquam quod praefationes libr. I—III neque minus praef. libr. de aqu. in simili sermonis genere versantur, Frontinus vel elocutionibus eiusdem generis atque hoc loco libri IV. utitur de aqu. 22, 15 . . . *quem ipsi scrupulosa inquisitione . . . . invenerimus* et eo loco, quem supra laudavi (45, 17): *ad tutelam ductuum, sicut promiseram, divertemus.*

[2]) Cf. C. Sittl, Die lokalen Verschiedenheiten der lat. Sprache mit besonderer Berücksichtigung des afrikan. Lateins, Erlangen 1882 pg. 132.

auctores ante Frontinum florentes haud raro inveniantur[1]), fieri non potest, ut liber IV., in quo eadem quae dixi verba leguntur, temporibus Apuleii vel posterioribns attribuatur. Quin etiam aliis de causis ex opere ipso petitis libros I—III et libr. IV. eodem fere tempore conscriptos esse concludere necesse est. Itaque Gundermanno relinquebatur nihil, nisi ut librum qui fertur quartum ad eum scriptorem referret qui vulgari sermoni indulsisset. Quem usum a Frontino alienum esse Gundermannus contendit, cum in libris I—III. exempla non exstarent, in quibus coniunctivus plusquamperfecti praeter consuetudinem pro imperfecto poneretur. Sed talia exempla in libris I—III non prorsus desunt. Mihi quidem discrimen non esse videtur inter exempla velut IV. 5, 7 et II. 8, 11, ubi legimus: *adfirmans, secum et bonis civibus dimicaturos esse, nisi cum hostibus maluissent.* Atque etiam compara str. I. 1, 1 *scripsit itaque singulis, ut diruerent munimenta, minatus bellum nisi confestim obtemperassent.* Quae cum ita sint, hoc usu dicendi Frontinam ab auctore libri quarti differre contendi non licet.

IV. De casibus.

1. De accusativo.

In universum Frontinus hunc casum congruenter cum bonis scriptoribus adhibuit, liber quartus strategematon ab aliis Frontinianis scriptis in usu eius vix discedit.

1. Primum commemoro, Frontinum sicut Caesarem[2]) pro accusativo verbis transitivis subiuncto interdum praepositionem *de* usurpasse. Duo exempla inveni: strat. II. 5, 16 *de adventu . . . significare;* IV. 7, 15 *de victoria nostra . . . nuntient.*

[1]) Cf. exempla quae affert Gunderm. ex Fothio, Die Verschiebung latein. Tempora in den roman. Sprachen. Roman. Studien, herausgeg. v. E. Boehmer, Bd. II (1877) pg. 311.

[2]) Cf. Fischer 'Die Rectionslehre bei Cäsar'. Halle 1855/56.

2. Deinde Frontinus congruenter cum Caesare in oratione directa accusativum obiecti nonnullis locis omisit, sed exempla, quae non ita multa sunt, afferre opus non est, cum talis omissio apud omnes scriptores pervulgata sit. Hoc tantum commemoro, Zechm. St. V. vol. 5. pg. 231 adn. nonnulla exempla (I. 2, 2; 4, 5. 8; 12, 3; III. 2, 11; IV. 1, 8; 6, 4; 7, 35, 37) attulisse, ut demonstraret, str. IV. 7, 34a Dederichio ante vocem *suspendebat* accusativum obiecti *eos* temere additum esse. Etiam str. II. 4, 4 *qui praesidio [ea] tenebant,* ubi Gundermannus *ea* addidit, Zechm. omissionem accusativi defendit.

3. Nonnulla verba intransitiva, quibus animi affectus exprimuntur, apud Frontinum ut apud scriptores posterioris aetatis cum accusativo coniunguntur. Cf. strat. II. 3, 13 *quam (multitudinem) expaverant;* III. 5, 2 *obsidionem non expavescere;* III. 11, 2 *gravari belli incommoda* (cf. Draeg. I. pg. 360; Zechm. pg. 251).

4. Alia verba intransitiva transitive adhibita exstant str. IV. 5, 6 *desperasset rempublicam* (sic iam apud Ciceronem et Livium); II. 10, 2 *quis exitus pugnam mansisset;* IV. 1, 17 *eos manere supplicium* (sic apud Verg., Horat., Ovid. cf. e. g. Verg. 7, 596 *te triste manebit supplicium);* I. 2, 2 *penetrare silvam* (plerumque cum praep.).

Adiungo, verbum transitivum *legere* cum notione praetervehendi ut apud Verg. et Ovid. inveniri str. I. 4, 7 *oram legerent.*

5. Accusativi Graeci qui vocatur, i. e. accusativi more Graecorum scripti in Frontini operibus nullum exemplum inveni. Sed nonnulla exstant exempla, in quibus accusativus *nihil* aut adiectivi neutrius generis notione adverbii est positus (Draeg. I. pg. 390). Cf. de aqu. 2, 13 *quantum* (= *in vel usque ad quantam copiam,* Ded. pg. 148) *unaquaeque aquarum serviat;* 34, 21 *quarum splendor nihil aut minimum pluvia inquinatur.*

6. Paulo fusius de verborum intransitivorum, quae cum praepositionibus *ad, in, circum, ex, prae* etc. composita

transitiva fiunt, usu Frontiniano mihi disserendum esse puto. Apud meliores scriptores horum verborum constructio varia est. Nam cum Caesar haec verba saepius cum praepositione coniungat[1]) quam cum accusativo, Cicero totiens fere praepositionem adhibeat, quotiens eam neglegat, apud Frontinum duo tantum huismodi verba (*irrumpere, egredi)* cum praepositione coniuncta leguntur. Accedunt etiam nonnulla alia verba, quae in aureae aetatis sermone nunquam cum accusativo rei, sed cum praepositione aut cum dativo construuntur. Verba quae notavi haec sunt:

a) composita cum praep. *circum, per, praeter, trans:*

circumire de aqu. 39, 5 *nobis circumeuntibus rivos;* 40, 11 *ductus circumeundi;* strat. I. 2, 1 *maximam partem circumierunt;* similiter II. 3, 3; 3, 10. 17. 22; 5, 31 *(circumita legione,* sic Zechm. pg. 247); 12, 1, III. 2, 1; 12, 2.

circumvenire str. II. 3, 5. 8; 7, 1;

circumvallare str. II. 1, 11 *exercitum circumvallatum;*

circumfundere str. I. 2, 7 *eaque circumfudit;* II. 5, 24 *circumfusus;* III. 17, 4 *ipse circumfusus;*

circumsedere: str. II. 9, 1 *reliquias circumsedens;* III. 6, 4 *Pisone circumsesso;* 17, 4 *circumsessus Pompeius;* IV. 5, 7 *circumsederentur;*

praeterire: de aqu. 34, 8;

transire str. I. 4, 8; 5, 4; 6, 3; 10, 3; *transgredi* str. I. 2, 2; 5, 1;

traiicere cum accusativo loci str. I. 5, 1. 3; IV. 1, 1. (Exempla, in quibus accusativus loci una cum accusativo obiecti positus est, non inveni; sed notio loci aut cum praepositione coniuncta aut ablativo expressa est, cf. strat. I. praef.; 4, 7 *transducere;* 1, 6 *traiicere;* 3, 8 *transmittere;* 4, 9 *traiicere;* 4, 9a al.);

tranare str. I. 4, 7 *abrupliora* (sic Gunderm.) *tranarent;* 7, 2 (bis); II. 13, 6; III. 13, 1; 13, 7; *transnavigare* str. I. 4, 13;

[1]) Kuehnast 'Die Hauptpunkte der Livian. Syntax', pg. 144.

b) composita cum praep. *prae, ob, sub:*

praecedere str. II. 7, 9 *quod eum alacriter praecessissent;*

praegredi str. II. 10, 2 *famam rei gestae praegressus;*

praestare str. IV. 2, 1 *ut praestarent Cassiani Brutianos.*

De his verbis cum praep. *prae* compositis cf. Draeg. I. pg. 380.

obsidere str. I. 5, 19 *faucibus obsessis;* 5, 43 al.;

subire str. III. 9, 8 *subiit muros;* 9, 9 *subiit castellum;*

c) composita cum praep. *ad, con, in:*

adgredi, adoriri, adire. Haec verba tam saepe inveniuntur, ut omnes locos congerere opus non sit. Affero nonnullos locos, quibus accusativus rei exstat: de aqu. 8, 23 *cum opus naomachiae adgrederetur;* strat. I. praef. . . . *hoc opus aggressus sum;* I. 4, 13a *adire portum; — adiri* legitur str. III. 9, 3 *quod (castellum) adibatur;* II. 5, 31 *ulteriorem veduit adiri;*

adluere str. I. 4, 7 *alterum latus mare alluereť;*

inire cum accus. nihil insoliti habet;

ingredi str. I. 2, 8; 5, 8 (*iter*); 6, 4 (*silvam*); II. 5, 24 (*angustias*); IV. 7, 18 (*fines*);

irruere str. I. 5, 16 *irruerent agros* (sic codd. deteriores), quem accusativum poetae tantum et posterioris aetatis scriptores ponunt; sed Gunderm. auctore Hartelio scripsit *incenderent agros;*

irrumpere str. I. 8, 12 *Lydiam irrupit,* sed praepositio exstat str. II. 5, 26 *per munimenta;* III. 17, 4 *ad castellum;* IV. 5, 4 *in hostes;*

invehi str. III. 10, 8 *indefensum portum invectus* (cf. Hartel, St. V. vol. 6. pg. 112);

invadere str. I. 9, 1 *res eorum invaderent;* 12, 13 *invaderent hostem;* II. 1, 14 *aciem invasit;* 2, 8 *equitatum;* 3, 2 *latus;* 5, 25; 10, 2 *castra;* 7, 8; 8, 8 *hostem;* III. 1, 2 *inopinatos;* 9, 10 *portum;* 10, 2 *oppidum;* IV. 5, 3 *hostes.* A Cicerone hoc verbum cum *in* praepositione

construitur duobus tantum locis exceptis, cf. Kuehnast, l. c. pg. 146;

insidere strat. I. 5, 15 *latera omniaque superiora insederat;* II. 5, 32 *loca insessa.* A Cicerone et Caesare hoc verbum ita usurpatum non est, primum a Livio accusativus adhibetur.

d) composita cum praep. *ex:*

excedere cum accusativo non apud Ciceronem[1]), saepius apud Livium; cf. de aqu. 43, 15 *calix excedit mensuram;*

egredi de aqu. 39, 4 *egressis urbem;* in strat. libris hoc verbum aut cum praepositione *ex* aut cum ablativo coniunctum videmus. Strat. I. 12, 1 editiones priores exhibebant *egrediens navem,* quam structuram, quamquam non aliena est a Frontino, Gunderm. consentientibus codicibus recte mutavit in *egrediens nave;*

evadere str. I. 5, 18 *adversarium evasit;* 5, 19 *saltum evasit;* II. 13, 4 *copias nostras locorumque iniquitatem evasit.* Nunquam praepositio adhibita est. Poetae ita construunt; apud prosae orationis scriptores inde a Livio hoc verbum cum accusativo coniungitur.

Ex iis, quae attuli, efficitur, construendi rationem in verbis intransitivis cum praep. coniunctis a Frontino adhibitam talem fuisse, ut praepositio perraro adderetur, sed semper fere accusativus poneretur.

7. Jam vero dicendum est de iis verbis, quae accusativum et personae et rei adsciscunt, verba poscendi, docendi, rogandi, celandi sim. dico. Adnotandum est, apud Frontinum nunquam a verbis poscendi duplicem accusativum pendere, sed semper accusativum tantum rei inveniri. Deinde commemoratione dignum est, in libr. de aqu. semper uno loco excepto (pg. 46, 28 *opus poscit curam*) verbum *exigendi* usurpatum esse, cf. pg. 1, 1; 5, 5. 15; 11, 4. 8. 26; 29, 14; 35, 2; 44, 27; 47, 2. Hoc verbum apud posterioris aetatis

[1]) Cf. Krebs, Antibarbarus s. v. et Draeg. I. pg. 381.

scriptores pro verbis postulandi et poscendi percrebrescere observavit C. Sittl l. c. pg. 66. Contra in libris strat. ab hoc usu dicendi Frontinus discessit, nam in his libris usurpata videmus verba *postulare* str. I. 9, 4; IV. 1, 44, *flagitare* str. I. 10, 2; II. 7, 12; IV. 7, 22, *exposcere* str. I. 10, 2 = IV. 7, 6, *deposcere* str. II. 1, 3, *poscere* str. I. praef.; II. 5, 32; I. 11, 20, cum verbum *exigendi* duobus tantum locis inveniatur: str. I. praef., II. 3, 17, qua in re non offendemus, cum Frontini elocutio, quae est in libris strategematon, non paulum pendeat a fontibus, ex quibus scriptor hausit. — Verba *rogandi* nihil insoliti habent. At ne *celandi* quidem verbum unquam cum duplici accusativo constructum est; nam persona quae celatur deest str. II. 7, 13, neque exprimitur res celata str. II. 7, 6 (accusativus cum infinitivo coniunctus, qui hoc loco exstat, pendet a verbo *sciscitatus).* Quare non est, quod str. I. 1, 9 *(alterum celavit;* sic Ded. et Gunderm. suadentibus codicibus) ante *celavit* cum Hartelio (cf. St. V. vol. 6, pg. 99) vocem *se* aut cum Hirschfeldio *iter* addamus. Neque assentior Zingerleio[1]), qui *de via* addendum esse censet, neque Schanzio[2]), qui lectionem *eodem consilio alterum celavit* mutavit in *eodem tempore consilium alterum celavit,* cum mea quidem sententia ab auctore res celata de industria omissa est propter verborum concinnitatem, cf. *ita ex duobus calidissimis ducibus Poenorum eodem consilio alterum celavit, alterum oppressit.*

8. Accusativum praedicativum videmus in Frontinianis scriptis ab eisdem verbis pendentem atque apud meliores scriptores. Accedunt nonnulla verba, quae Frontinus eadem constructione usurpat, velut *credere,* cf. de aqu. 6, 24 *quem quidam Tusculanum credunt;* strat. III. 3, 4 *ille creditus*

[1]) Cf. 'Zeitschrift für österr. Gymnasien', vol. 40. (1889), p. 28—31.

[2]) Cf. Philologi vol. 48 (1889), pg. 676.

inimicissimus Cyro; scribere, cf. de aqu. 36, 2 *novum auctorem imperatorem Nervam praescribente titulo;* 41, 4 *procuratorem officii libertum Caesaris scribere;* verbum activum *inveniendi* permultis locis omnium Frontinianorum operum, praecipue in libris de aquis; sed plerumque dubium est, utrum accusativus praedicativus an accusativus cum infinitivo coniunctus interpretandus sit; verbum passivum *inveniri* legitur de aqu. 8, 7 *dies, quo .... responderit, quintus idus Junias invenitur;* 26, 21 *modus ... certus inveniri potuit; tenere, detinere, continere, retinere,* cf. strat. I. 4, 9a *barbaros intentos teneret;* II. 9, 1 *insomnemque hostem detinuit;* II. 5, 31 *spectatorem eum continuit;* IV. 4, 1 *retentis eis obsidibus*; *offerre,* cf. str. I. 5, 14 *seque ducem obtulit; celebrare,* cf. IV. 7, 13 *quos sacros celebrabant.* — Nostrum 'zu etwas machen' semper verbo quod est *facere* expressum est, uno loco excepto, str. IV. 1, 3 *eos fortes reddam,* ubi dictum quod vocatur exstat; omnibus aliis libr. IV. locis verbum faciendi usurpatur. — Eundem consensum inter libr. I—III. et libr. IV. videmus in adhibendo verbo *habere* cum accusativo praedicativo. Cf. e. g. strat. I. 1, 5 *quod suspectam habebat fidem;* 4, 12 *quos captivos habebant;* II. 5, 26 *quem quietum habuerat;* 5, 30 *quos paratos habebat;* III. 16, 5 *duo milia suspecta haberet;* IV. 7, 23 *quos suspectos habebat;* 7, 42 *interritos milites habuit.*

Denique commemoro, accusativum illum, quem exhibet C et Buecheler in textum recepit de aqu. 5, 2 *Curius, intra quintum diem, quam erat duumvirum creatus, decessit,* valde in suspicionem vocandum esse.

9. Similia verba exstant apud Frontinum, quae cum praepos. *pro* loco accusativi praedicativi construuntur; cf. de aqu. 2, 1 *quem (commentarium) pro formula respicere possem;* strat. I. praef. *ne me pro incurioso reprehendat;* 6, 1 *factum pro occasione amplexi;* 10, 3 *quod Thebani pro metu interpretati;* 12, 7 *id pro tristi significatione*

interpretaretur; 12, 8 *(defectum lunae) pro ostento exciperent milites*; II. 5, 10 *praecedentes veluti pro exploratoribus habebant;* — similiter legitur str. II. 2, 6 *natura pro munimentis usus;* 8, 7 *pro hoste sibi futurum;* III. 3, 7 *quos ille pro captivis introduceret;* IV. 7, 8 *qui pro duce fuit;* de aqu. 39, 6 *pro lictoribus erit.*

10. Restat ut dicam de eo accusativo, quo mensura vel temporis spatium exprimitur. Accusativus temporis solus nusquam invenitur in Frontinianis scriptis, sed ubique cum praepositione *per* coniunctus, cf. str. I. 4, 13a (bis); 11, 18; II. 3, 4; 5, 8 *(per aliquot dies);* 12, 1; III. 5, 1; 16, 3; IV. 1, 25. 33 *(per aliquot dies),* excepto uno loco: IV. 5, 18 *undecim menses.* De ablativo temporis eodem sensu usurpato conferas h. comm. pg. 71.

Accusativum mensurae invenies de aqu. 10, 29 *sublevati pedes centum novem.* Ablativus mirum in modum eodem sensu exstat de aqu. 23, 27 *infra terram pedibus quinquaginta.*

In universum igitur Frontinus in usu accusativi cum bonis scriptoribus consentit, neque vero desunt maiores licentiae. Discrimina maioris momenti non intercedunt inter libr. I—III. strat. et libr. IV.

2. De dativo.

1. Verba simplicia Frontinus haec cum dativo coniungit:

iungere. Hoc verbum Frontinus non solum passiva forma cum dativo construit, quod apud meliores quoque scriptores legitur, sed etiam activa, quam constructionem primus Vergilius usurpat, quem secutus est Livius (Draeg. I. pg. 426). Haec exempla exstant: de aqu. 4, 4 *iungitur ei ramus;* 10, 18 *iungitur ei rivus;* strat. I. 1, 9 *Hannibali fratri iungeretur;* ib. *collegae se iunxisset;* II. 5, 6 *quibus iunctae paludes erant;* III. 3, 7 *corrupto ei iunxit fortissimos;* 13, 6 *insulam continenti iungit;* IV. 1, 31 *sanguine sibi iunctum.* — Praepositio *cum* exstat de aqu. 23, 13 *iungitur cum ramo;* strat. II. 1, 3 *iunctis cum Pompeio castris;*

miscere. Constructio *miscere alicui aliquid,* qua Frontinus utitur, melioribus quoque scriptoribus in usu fuit[1]): I. 9, 3 *mixtos eis qui extra delictum erant;* II. 3, 22 *cui velocissimos miscuit peditum;* 7, 13 *miscuit vera falsis;* cum praepos. *cum:* de aqu. 27, 18 *miscebatur cum Anione novo;* item *permiscere:* de aqu. 35, 9 *cum Anione permista;*

aptare (cum dativo apud Vergilium, Livium): strat. III. 9, 3 *gladiisque tergo aptatis;* 17, 6 *qua re proelio non aptatos trucidavit;* cum praep. *ad* constructum inveni strat. I. 8, 5 *aptari ad pugnam;* cum praep. *in:* str. IV. 1, 7 *cibaria in fasciculos aptata.*

2. Sequitur, ut dicam de usu dativi verbis transitivis et intransitivis cum praepositione compositis subiecti. In his verbis adhibendis maiores discrepantiae statuendae sunt. Frontinus enim discrepat a bonis scriptoribus, etiam a Livio, eo quod cum illis verbis, quae, si translate adhibentur, dativum adsciscere, si localis notio adest, cum praepositione plerumque coniungi satis notum est (Draeg. I. pg. 406 et 419), sive ad locum pertinent, sive notionem translatam exhibent, saepissime dativum coniungit, praepositionem tam raro iterat, ut numerus illorum locorum, quibus praepositio omittitur, vix cum illis, quibus posita est, comparari possit. Permulta quidem Frontinus nusquam cum praepositione construxit. Quo clarius autem ea quae de verborum compositorum usu dixi demonstrem, primum omnia illa verba afferam, quae cum praepositione constructa inveniuntur, additis illis quoque locis, quibus praepositio omissa est, tum ea verba enumerabo, quae nunquam cum praepositione coniunguntur.

a) Verba composita, quorum simplex est verbum transitivum:

aa) cum praepositione:

adligare: strat. I. 5, 26 *buculos ad arbores alligaverunt;* 5, 28 *quibus* (dat.) *ad cornua fasciculos alligaverat;* IV. praef.

[1]) Cf. Kuehner, Gramm. lat. § 76, 6.

discriptioni priorum ad speciem alligatae; dativus num exstet I. 5, 25 *(palis . . . fixis cadavera adligavit)* dubium est, cum ablativus quoque absolutus explicari possit;

admovere: str. II. 4, 20 *ad aciem;* 9, 4 *ad vallum;* III. 8, 2 *ad alterum (oppidum);* — sexies invenitur dativus, sed notio eadem est atque iis locis, quibus praepositio posita est; cf. strat. I. 10, 1 (= IV. 7, 6) *praevalido alteri (equo), alteri exili admovit iuvenes;* II. 1, 2 *aciem vallo;* 1, 8 *admoto praesidio suis;* II. 3, 22 *latus admovit paludibus;* III. 8, 3 *eos monti admovit;* IV. 7, 8 *ligna vallo admoverent;*

adplicare. Meliores scriptores cum hoc verbo praepositionem *ad* coniungunt, quae exstat strat. I. 5, 9 *acie ad opus adplicata;* II. 9, 9 *qua (classe) ad Eleusin adplicuerant;* sed plerumque Frontinus dativum ponit; cf. de aqu. 11, 7 *montium lateribus specus adplicitae* · 18, 2 *huic fistulae adplicantur;* 46, 4 *(partes) montium lateribus adplicatae;* str. I. 1, 7 *adplicitas hosti valles;* II. 2, 10 *adplicuerunt se flumini;* III. 16, 5 *naves litori adplicuisse;*

immittere: str. III. 7, 3 *in castra fluvium immisit;* 17, 7 *unde in eos immisit copias;* IV. 7, 19 *omnes naves in Thebanos transnavigantis immisit;* uno loco dativus adiungitur sicut apud poetas: str. II. 5, 31 *fugientibus equites immissi* (cf. Draeg. I. pg. 423);

iniicere. Inusitate Frontinus praepositionem *super* addit str. III. 9, 9 *pontibus iniectis super fossam;* sed I. 5, 10 *pontibus fossae iniectis* eodem sensu dativum usurpat. Notione translata exstat dativus str. II. 1, 12 *hostibus necessitatem iniecit,* qui nihil insoliti habet; similiter str. II. 4, 11; III. praef.;

subgerere: strat. I. praef.; *sub quaque specie subgerere;* haec constructio hoc tantum loco videtur inveniri.

bb) Verba quae a Frontino nunquam cum praepositione, semper cum dativo construuntur, haec sunt:

adclinare: str IV. 5, 5 *cui se vulneratus adclinaverat;*

adferre: de aqu. 3, 5 *salubritatem aegris corporibus adferre;* 49, 4 *ductibus manus adtulerunt;* strat. II. 7, 1 *terrorem Veientibus et Romanis fiduciam attulit;* 7, 9 *pudor transfugis attulit paenitentiam;* 11, 5 *donum Scipioni adtulerant;* sed simili sensu de aqu. 41, 2 *epistulam ad curatorem adferre,* quia additum est *a principe* (motus a quo);

adfigere: str. I. 11, 16 *ornamentis adfixa;* IV. 7, 24 *crucibus adfigeret;*

adiicere exstat permultis locis librorum de aqu., ac semper cum dativo: cf. 15, 13; 16, 12. 18. 20 *diametro;* 16, 12. 19. 21 *capacitati;* 16, 23 *vicenariae;* 27, 26 *fontibus;* 43, 23 *diligentiae adiiciendum est;* uno loco, quo dativus iam exstabat, praepositio posita est: 15, 10 *adiectus est ei ad diametrum quadrans;*

adiungere: de aqu. 34, 9 *incremento adiunxerimus;* str. I. 1, 9 *se Livio collegae adiungere;* II. 4, 17 *boves vehiculis adiunctos;* IV. 7, 29 *adiunctos equitibus;* Cicero praepositionem adhibere solet (cf. Draeg. I. pg. 422);

apponere: de aqu. 8, 9 *aedicula fonti adposita;* str. III. 10, 8 *civitatem litori appositam;*

assignare: de aqu. 42, 22 *modus praediis assignatus;*

adscribere: de aqu. 23, 10 *Appiae adscriptus est modus;* item 24, 1. 18; 25, 14; 25, 23; 26, 10. 20.

adtendere: str. I. 9, 3 *nocentibus adtenderunt;*

attribuere: str. I. praef. *generibus attribui species;*

adstruere: str. I. praef. *aliquid illi adstruent;*

appellere. Constructio huius verbi varia est apud Frontinum; cf. str. I. 1, 2 *in Siciliam appelleret classem;* 4, 11 *naves appulit Siciliae;* II. 7, 14 *Ambraciam appulisset,* III. 3, 7 *naves Ephesum appellebat;* cum dativo hoc verbum interdum apud Vergilium et Curtium invenitur, ceteri scriptores cum praep. *ad* vel cum accusativo coniungunt;

comparare: de aqu. 10, 31 *aquarum molibus pyramidas compares;* strat. I. praef. *probatis eam experimentis comparabit;*

dativus a verbo comparandi aptus, si significat 'vergleichen', omnibus temporibus in usu fuit;

induere: de aqu. 18, 1 *calix qui rivo vel castello induitur;*

inferre cum dat. nihil insoliti habet, cf. str. I. 8, 12; IV. 1, 15;

iniungere: de aqu. 1, 4/5 *sitque mihi aquarum iniunctum officium;* str. IV. 1, 1 *quibus cum iniungeret iter;*

immergere: str. II. 5, 7 *immersosque limo;*

immiscere: str. II. 3, 21 *his immiscuerunt auxilia;* III. 2, 7 *feminis plerosque immiscuit;* 3, 6 *Poenos comitibus eius immiscuit;* 9, 3 *quibus aeneatores immiscuerat;*

implicare: str. II. 3, 17 *quadrigae implicitae palis;* 5, 43 *implicatam vado triremem;*

imponere: de aqu. 44, 4 *foramen novum castello imponunt;* — str. I. 3, 8 *necessitatem Carthaginiensibus imposuit* (cf. de aqu. 36, 23 *positam* = *impositam* [pg. 31] *redemptoribus necessitatem);* III. 8, 3 *quibus simulacra imposuerat:* IV. 6, 2 *gregalem equo imposuit;* 1, 7 *vasa et cibaria furcis imposuit;*

intentare: de aqu. 49, 8 *poena contumacibus intentaretur;*

interponere: str. II. 3, 22 *spatia his interposita;* IV. 7, 27 *cohortibus interposuit sagittarios;*

offerre, opponere, obiicere, offundere, praeficere, praeponere, quae omnia cum dativo constructa sunt, missa facio;

praefigere: str. II. 9, 3 *capita hastis praefixa;*

praetendere, verbum apud posteriores scriptores militares usitatum (cf. Klotz) = 'bewachen, beschützen': str. II. 3, 14 *praetendere peditibus;*

praetexere: str. I. 4, 1 *captivos lateri euntium praetexuit;*

obtexere: str. I. 1, 8 *profectioni suae census Galliarum obtexuit;* cf. Hartel, St. V. vol. 6. pag. 99;

subiicere: de aqu. 11, 5 *singula oculis subiecisse;* str. I. 3, 10 *subiecit dicioni suae hostes;* III. 10, 5 *ignem acervis subiecerunt;*

supponere: str. I. 11, 14 *quam extis erat suppositurus;*

superiicere: str. I. 5, 11 *quam fossis superiecerat;*

superstruere: str. III. 9, 8 *superstruxit eis turres;*

b) Verba composita, quorum simplex est verbum intransitivum;

aa) cum praepositione:

accedere: strat. I. praef. *ad instruendam scientiam accesserim;* 10, 3 *accessit in colles;* II. 5, 1 *ad Fidenas accessisset* (III. 9, 6 *Cyzicum accessit*); III. 9, 1 *ad muros accessit;* 10, 4 *rara acie ad muros accedens;* IV. 1, 22 *ad opus accedere.* Identidem Frontinus hoc verbum cum dativo coniungit, cf. str. II. 11, 5 *gens victa imperio populi Romani accessit;* IV. 5, 9 (= I. 5, 14) *consuli accessit;* — de aqu. 9, 7 *Marciae accedat;* 12, 5 *quae . . . rivo Juliae accesserat.* Significat his locis plerumque *adiungi,* ita ut id, ad quod aliquid adiicitur, augeatur, adnotandumque est, hoc verbum, si talem notionem exhibet, rarissime a bonis scriptoribus cum dativo coniungi (cf. Draeg. I. pg. 408);

incedere: str. II. 2, 7 *Romanis in ora et oculos incederet;*

incidere congruenter cum melioribus scriptoribus cum praepositione *in;* cf. str. II. 13, 10 *in vada incidisse;* IV. praef. *in aliqua incidissent;* 5, 4 *in manus incidisset;* 5, 16 *in hostium copias incidisset;*

incumbere: de aqu. 44, 30 *in quam necessitas incubuerit* ('grave dicendi genus' Ded.);

incursare: strat. II. 2, 10 *incursando in proximos;*

invehi; huius verbi usus apud meliores ipsos scriptores varius est; plerumque autem, sive cum locali significatione sive translate usurpatur, cum *in* praepositione construitur; in illo *ad,* quo scriptor libri IV. 7, 23 *ad eos . . . . invectus* utitur, non haereo, cum hoc loco necessarium sit ex loci sententia, sed fortasse in verbo invehendi vitium latet scribendumque est *evectus* vel *advectus;* — accusativus legitur III. 10, 8; cf. h. c. pg. 42.

insidĕre: str. IV. 5, 14 *ei in capite insedisset;*

concurrere, quod verbum meliores scriptores non ponunt nisi absolute (Draeg. I. pg. 413), a Frontino cum praep. *cum* vel *adversus* construitur; cf. strat. III. 2, 10 *cum quibus concurrerent;* II. 4, 1 *adversus Samnites concurreret;*

congredi: str. IV. 7, 5 *cum victore congressurum;*

convenire: de aqu. 16, 5 *convenit et cum is modulis;*

succedere: str. II. 5, 8 *succedere ad munitiones eorum;* 10, 2 *ad munitiones succedebat;* — III. 17, 1 *muris succederet;*

bb) Verba composita semper cum dativo constructa:

adesse cum dativo sicut apud meliores scriptores, cf. str. I. 11, 9. 10. 16; 12, 12; item *deesse* de aqu. 46, 20; 30, 1; str. II. 5, 23; *praeesse* de aqu. 39, 8/9; str. I. 5, 17; II. 10, 2; IV. 3, 3; *inesse* str. II. 10, 3; *superesse* de aqu. 8, 25 *naumachiae superesse;* IV. 5, 5 *superesse cladi;*

adequitare: str. I. 5, 16 *adequitare faucibus;* II. 5, 23 *adequitare vallo eius;* dativus saepius apud posteriores scriptores invenitur, apud Caesarem cum praepos. *ad* (Draeg. I. pg. 409);

adiacere; de aqu. 8, 26 *adiacentibus* scil. *naumachiae;* str. III. 9, 5 *quae mari adiacebat;* dativus primum inde a Livio scriptoribus in usu fuit, antea praep. *ad* usitata erat (cf. Draeg. I. pg. 410);

adsidere: str. III. 18, 1 *adsidente* (= belagern) *moenibus Hannibale;* apud meliores scriptores *adsidere* cum dativo significat *iuvare;*

adsuescere (assuefacere): str. IV. 1, 19 *ut adsuesceret periculis;* 2, 4 *iam inde a Philippo disciplinae assuefactis;* haec verba inde a Livio apud prosae quoque orationis scriptores cum dativo coniunguntur; antea poetae tantum hac constructione utebantur, in prosa oratione aut ablativus aut praepositio *ad* poni solebat (cf. Kuehner, Gr. lat. II. pg. 281 adn. 2);

consentire, de aqu. 16, 7/8 *aquarii manifestae rationi consentiant;* 17, 7 *omnes consentiunt et rationi et commentariis;*

constare: de aqu. 16, 5 *constat sibi;* 17, 10 *universitati ratio constabit;*

congruere: de aqu. 17, 9 *omnia congruere sibi debent;*

inhaerere: str. II. 5, 6 *limo inhaeserunt;*

imminere: str. I. 2, 3 *Africae immineret;* 2, 7 *agmini imminere;* II. 4, 4 *imminentem castris;* 5, 22 *occasionibus immineret* (= trachten nach);

impendere: str. IV. 1, 33 *exemplo potius impendit;*

inniti: str. IV. 7, 34 *posterioribus pedibus innixi;*

insidēre: str. II. 4, 1 *mulis insidentes;* 4, 5 *equis insidentes;* 12, 1 *insidentes equis;* III. 13, 6 *insidentem utribus;* meliores sriptores insidēre cum praepos. *in* coniungunt, dativus apud poetas invenitur;

instare cum dativo pervulgatum est;

intendere: str. I. 6, 1 *praedationi intentos hostes;*

verba *obversari, obvenire, obstare, occurrere, subiacere, subvenire, succumbere, succurrere,* quae omnia cum dativo construuntur, missa facio;

praefluere: str. II. 2. 10 *altis ripis praefluebat;*

supervenire: str. I. 1, 6 *sibi supervenirent legiones;* sic Vergilius, Livius, posteriores; aliis locis dativus commodi statuendus est velut II. 5, 45; III. 11, 1.

Adiungo ea verba, quae cum praep. *de* et *ex* composita sunt;

detrahere: de aqu. 8, 24 *ne quid salubrioribus aquis detraheret;* 16, 22 *vicenariae detrahunt;*

excidere uno tantum loco legitur str. IV. 5, 17 *gladium excidisse vaginae.* Dativus personae cum verbo excidendi coniunctus, ut *excidit mihi* 'es ist mir entfallen', omnibus temporibus in usu fuit., verum eiusmodi exemplum, ut res addita sit, ex qua aliquid excidat, nullum praeter hoc Frontinianum inveni. Hoc loco nihil mutandum videtur, cum omnes codices meliores hanc lectionem praebeant, deteriorum tantum librorum singuli habeant *vagina.*

Haec de verbis cum praepositione compositis. Constat usum dativi pro praepositione argentea quae dicitur aetate latini sermonis magis magisque increbrescere, atque Frontinum quidem in hoc usu Livianum Taciteamque dicendi consuetudinem paulum excessisse exemplis allatis apparet. Inter libros tres priores strat. et libr. quartum maiores discrepantias non esse cognovimus.

3. Jam transeamus ad dativum, quem dicunt auctoris, quocum verba passiva coniungi solent. Haec exempla inveni: de aqu. 1, 17 *more per multa mihi officia servato;* str. I. 2, 2 *intemptatem militi nostro;* 11, 6 *destinatum Lacedaemoniis;* II. 1, 16 *Ariovisto regi institutum;* 3, 4 *media acies fortissimis fundaretur;* 5, 26 *destituta propugnatoribus;* III. 6, 4 *destituti propugnatoribus* (cf. Draeg. I. pg. 509).

4. Dativus qui, praecipue apud poetas, motum ex loco in locum significat, (Draeg. I. pg. 426) duobus locis exstat libr. de aqu., cf. 12, 12 *pars Juliae castellis Caelii montis diffunditur* (31, 26 *dividebantur in castella);* 13, 11 *quibusque regionibus diducatur* (cf. Deder. pg. 180).

5. De usu dativi commodi qui dicitur, qui frequentissimus est apud Frontinum, sed nihil inusitati praebet, nihil dicam. Item verba *nocere, opitulari, imperare* etc. et ea quae pro accusativo nostrae linguae dativum poscunt, velut *parcere, maledicere, supplicare* sim., missa facio, quippe quae et raro legantur apud Frontinum neque quidquam habeant insoliti. Neque vero praetermiserim tres locos libr. de aquis, quibus exstat dativus qui dicitur absolutus vel iudicantis, de aqu. 6, 6 *euntibus ab urbe Roma;* 7, 1 et 6 *euntibus ab Roma.*

6. Venio ad dativum praedicativum, qui adiungitur vocibus *nomen, cognomen.* Adnotandum est, Frontinum semper dativum exhibere, duobus locis exceptis, quibus genetivus nominibus tertiae declinationis adiunctus est; nominativus prorsus vitatus est. Cf. de aqu. 5, 19 *cui ab auctore Marciae nomen est;* 7, 9 *adquisitae aquae ab inventore nomen Juliae datum est;* 9, 17 *alteri nomen Claudiae*

datum; str. II. 3, 2 *cui postea Africano cognomen fuit,* IV. 1, 40 *cui postea Imperioso cognomen fuit;* quare de aqu. 3, 11 *cui postea Caeco fuit cognomen* recte suppletum est a Jucundo. — Genetivus legitur de aqu. 3, 14 *cui Venocis cognomen datum est;* 9, 20 *priori Anioni cognomen veteris adiectum.* — Deinde dativus praedicativus exstat str. III. 17, 3 *abire uti sibi incolumi liceret.*

7. In dativo finali adhibendo Frontinus plerumque consentit cum Livio, cuius usum exposuit Draeg. I. pg. 439 et 440. Quocum conferas haec Frontini exempla: str. I. 2, 1 *quibus curae esset;* 5, 16 *spectaculo esse;* II. 2, 1 *sibi esset impedimento;* III. praef. *urbibus usui sunt;* IV. 7, 13 *quibus praedae fuerant;* — I, 5, 3 *castris delegerunt locum;* 5, 11 *collem castris destinassent;* II. 1, 12 *elegit tempus dimicationi;* 2, 1 *elegit castris locum editum;* 7, 12 *castris locum cepissent;* 6, 2 *concesso fugae spatio;* 6, 5 *viam fugae dedit;* III. 2, 6 *locus consultationi praebebatur;* I. 12, 1 *signum receptui dare;* II. 5, 25 *receptui signum dedisset;* 13, 6 *signum itineri dedit;* sed IV. 1, 33 *dato profectionis signo;* II. 3, 13 *auxilio Aegyptiis venisset;* 5, 20 *auxilio his venturos;* III. 11, 2 *praesidio illis erant.* — Sicut a Livio eodem sensu interdum praepositio *ad* usurpatur; cf. II. 6, 9 *locum illis ad fugam dedit;* 10, 2 *tempore militi ad requiem dato;* similiter II. 6, 6 *apertaque Thebanis ad evadendum via;* 13, 10 *spatium ad evadendum daret;* IV. 7, 16 *dandam esse viam ad fugiendum.* — Praepositio *in* invenitur: str. I. 8, 3 *qui in praesidio urbi erant;* similiter III. 17, 1 *qui in praesidio Panhormitanorum erant.* — Praep. *in* cum accusativo pro dativo adhibetur: str. II. 5, 31 *emittente legionem in praesidium* (cf. Liv. 28, 28) *suorum;* 5, 45 *in auxilium ei supervenire;* III. 11, 5 *in subsidium hosti venisse;* IV. 1, 43 *milites in supplementum legionem distribueret;* III. 6, 4 *adsumpta in praesidium Lucanorum manus.* — Similem constructionem legis compluribus locis librorum de aquis, cf. 4, 5 *in supplementum eius*

additus; 7, 20 *partem eius in supplementum Juliae vindicaverunt;* 8, 28 *in subsidium salientium dari;* 9, 4 *in supplementum Marciae perduxit;* 24, 23 *dabantur in adiutorium Tepulae;* 27, 25 *inventam in Marciae supplementum;* 30, 5 *in adiutorium aliarum dantur,* qua constructione librum quartum strat. ab aliis Frontinianis scriptis non differre videmus. Hic usus, rarus ante Livium, inde a Livio magis magisque increbruit (cf. Draeg. I. pg. 658).

8. Denique dativus, qui pendet ab adiectivis, nihil insoliti habet apud adiectiva velut *indecorus* (de aqu. 1, 11), *insuperabilis* (str. I. 10, 1), *par* (IV. 7, 29), *impar* (str. I. 10, 1; II. 1, 3; 4, 2; 12, 2), *invius* (II. 2, 9), *utilis* (II. 2, 14), *infestus* (str. I. praef.; III. 6, 6), *religiosus* (III. 2, 5), *sacer* (IV. 7, 13), *suspectus* (I. 4, 7; 8, 6), *inhabilis* (IV. 6, 3), *vicinus* (II. 5, 31), *propinquus* (III. 13, 8); sed dativum adsciscit etiam *alienus,* cf. str. I. 2, 2 *alienos nomini Romano;* II. 1, 11 *alienum dimicationi tempus;* similiter IV. 7, 37 *alienatum sibi,* sicut Liv. 30, 14; 44, 27 (Draeg. I. pg. 503); *idoneus:* de aqu. 46, 22 *idoneum structurae tempus; aptus* exstat cum dativo str. I. 5, 27 *eruptioni maxime aptum;* huc refero etiam str. II. 3, 23, ubi traditum est *ne quis non locus;* Gundermannus in textum recepit *ne quis iam locus,* Hartelius (l. c. pg. 109) recipi vult *ne iniquus iam locus;* sed ad sensum optime quadrat coniectura Schanzii (cf. Philol. vol. 48. pg. 675): *ne equis non aptus locus;* cum praep. *ad* str. II. 5, 31 *aptissima ad furta bellorum* (Verg. Aen. 11, 515 *furta paro belli); necessarius* cum dativo: str. III. 5, 1 *omnia victui necessaria;* IV. 1, 1 *necessaria expeditioni vasa;* 6, 1 *necessaria duci munera;* oum praep. *ad*: de aqu. 1, 14 *necessariae ad ministerium; pronus* cum dativo: str. IV. 7, 29 *prona nostris victoria fuit;* cum praep. *ad*: de aqu. 17, 25 *pronior ad haustum.* — Cum praepositione, non cum dativo exstant: *piger* str. I. 11, 20 *pigrioribus ad proelium militibus; difficilis* de aqu. 18, 4 *difficilior ad flexum;* 48, 25/26 *difficilior in parte vendenda.*

3. De genetivo.

De hoc casu non multa in Frontinianis scriptis investigavi, quae ut discrepantia ab usu meliorum scriptorum in hac quaestione mihi afferenda videbantur. In universum enim Frontinus in adhibendo genetivo cum Cicerone et Caesare consentit, nisi quod nonnullis licentiis, quae praecipue ad genetivum partitivum et obiectivum ab adiectivis pendentem spectant, ad Livii et Taciti dicendi consuetudinem propius accedit. Sed singula aggrediamur.

1. De genetivo partitivo haec mihi notanda videbantur.

a) Genetivi a numerali voce pendentis, qui excepto vocabulo *mille* perraro invenitur (Draeg. I. 107 et 448), unum exemplum se mihi obtulit (str. IV. 2, 9), de quo iam dixi pg. 25.

b) Haud ita multis locis genetivus invenitur aptus a pronomine vel adiectivo numerali neutrius generis et ab adverbiis, ut saepe apud Ciceronem et alios, ubi nos potius exspectamus pronomen cum substantivo in eodem casu positum: cf. de aqu. 37, 18 *quid aquarum;* strat. I. praef. *exemplorum quidquid;* 2, 8 *quid rei;* 2, 7 *aliquid insidiarum;* II. 1, 17 *quicquam seriae rei;* IV. 5, 7 *id animi.* Uno loco adiectivum in eodem casu ad pronomen positum est: str. II. 5, 30 *subitum aliquid ac necessarium.* — Genetivus coniunctus est cum adiectivis neutrius generis: de aqu. 44, 14 *quantum aquae;* 44, 15 *aliquantum plumbi;* str. I. 1, 10 *aliquantum temporis;* 11, 2 *quantum pecuniae;* 11, 17 *multum terroris;* II. 4, 6 *tantum terroris;* IV. 1, 5 *plus praesidii;* adiectivo cum genetivo coniuncto praepositio anteposita est, quod iam saepius apud Livium et Tacitum, rarius apud meliores scriptores invenitur (cf. Draeg. I. pg. 456): de aqu. 11, 28 *in tantum altitudinis* (sicut Liv. 27, 28); str. II. 2, 8 *per aliquantum spatii.* Cf. h. c. pg. 16. — Loco autem genetivi partitivi his adiectivis nunquam praepositio addita est, quod saepe apud Livium et Tacitum, raro apud Ciceronem et Caesarem fit.

Vocabulum *nihil* cum genetivo exstat str. II. 7, 14 *quamquam nihil secum praesidii haberet;* cum praep. *ex* coniunctum est str. IV. 3, 14 *nihil ex rebus suis;* 3, 15 *nihil ex tantis manubiis.* Ex eo quod haec constructio in libro quarto invenitur, concludi non licet, Frontinum aliter scripsisse, cum exempla praeter str. II. 7, 14 in libris I—III. non inveniantur; sed de aqu. 9, 26 *nihil ex qualitate eius* legitur. Ceterum in eo, quod eadem constructio *nihil ex* iteratur, consilium auctoris libri IV. cognoscitur, exempla illa etiam externa dictionis forma inter se coniungendi, quod est proprium Frontini (cf. h. c. pg. 9). — Si *nihil* cum adiectivis neutrius generis coniungitur, adiectiva in eodem casu posita sunt, cf. str. I. 11, 4 *nihil iustum ac moderatum;* II. 5, 19 et 31 *nihil tale.*

Genetivus pendet ab adverbiis str. II. praef. *satis fiduciae*; 11, 1 et de aqu. 34, 12 *parum praesidii.*

c) De genetivo ab adiectivis in numero plurali neutrius generis positis pendenti, qui frequentissimus est apud Tacitum, cf. h. c. pg. 16.

d) Genetivus partitivus pendens ab adiectivis masculini generis in gradu positivo, quam constructionem Graeci poetae saepissime, Romani raro, sed saepius posteriores prosae orationis scriptores inde a Livio adhibent (cf. Kuehner, gramm. latin. I. pg. 311. adn. 1), semel a Frontino positus est: str. II. 5, 19 *imbelles suorum;* simili modo praepositio *ex* legitur str. IV. 7, 24 *ex volonum numero fortibus.*

e) *Unus,* quod a Cicerone aliquotiens atque semel a Caesare, saepius a Livio cum genetivo partitivo coniungitur (cf. Draeg. I. pg. 458), apud Frontinum semper praepositionem *ex* adsciscit. Idem fere dicendum est de aliis vocibus numeralibus, cf. de aqu. 12, 1 *ex is sex;* 30, 6 *ex his . . . quinariae quattuor milia;* similiter str. IV. 7, 24 *quattuor milia ex his;* de aqu. 37, 14/15 *ex iis . . . binos;* item str. IV. 1, 36 *ternos ex centurionibus;* 1, 37 *singulos ex his;* neque tamen deest genetivus, cf. de aqu. 12, 3 *tres*

earum, alia. — Vox *unus* subaudienda est locis velut str. II. 9, 5 *in Vadandum ex megistanis, quos ceperat, animadvertit;* quocum compara str. IV. 7, 34 *Cardianus ex successoribus Alexandri.*

Jam vero adiectiva indefinita numeralia atque pronomina, quibus meliores scriptores genetivum addere solent, Frontinus saepius cum praep. *ex* quam cum genetivo coniungit, quod apparet ex his locis:

aliquis, cum praep. de aqu. 43, 14; 44, 25; str. I. 1, 10; III. 5, 1; 16, 4; IV. praef.;

alius, cum praep. de aqu. 11, 15;

alter, cum praep. de aqu. 35, 2; str. I. 1, 9; cum genet. de aqu. 36, 4; str. I. 10, 1 (= IV. 7, 6);

quis, cum genet. str. II. 8, 14; IV. 1, 44; cum praep. str. IV. 1, 38;

complures, cum praep. str. II. 12, 3; 10, 1 (plures); cum genet. II. 4, 18;

reliqui, cum praep. str. III. 15, 4; IV. 1, 37; cum genet. str. II. 7, 13; III. 10, 1;

multi, cum genet. str. II. 4, 10; III. 17, 7;

quidam, cum praep. de aqu. 43, 11; strat. I. 1, 3 (bis), 1, 6; II. 5, 10; 5, 18; III. 6, 6; 9, 3; 10, 1; IV. 1, 33, cum genet. str. I. 11, 17; II. 5, 44; III. 2, 3; 8, 2. Ut str. II. 9, 5 et IV. 7, 34 vox *unus,* ita vox *quidam* subaudienda est str. III. 13, 6 *militem e suis;* IV. 1, 35 *ex duobus legionibus* (sc. *quosdam);*

plerique, cum praep. str. I. 11, 5; III. 2, 7; cum genet. II. 3, 16; de aqu. 29, 4; eodem casu exstat substantivum de aqu. 38, 20/21 *lacus . . . plerique;*

pauci cum praep. str. I. 4, 14; 8, 5; cum gen. II. 7, 7; 9, 1; adiectivum in eodem casu additum est str. I. 4, 4 *suos paucos reliquit;*

Adiungo, substantivum apud pronomen *unusquisque* vel *quisque* modo in genetivo modo in eodem casu positum esse, cf. de aqu. 2, 14 *unaquaeque aquarum;* 2, 8 *quaeque*

earum; str. I. 1, 1 *unaquaeque urbium;* sed de aqu. 22, 13 *quaeque aqua;* 2, 13 *unicuique regioni.*

f) Duo exempla investigavi, quae superlativum cum praep. *ex* coniunctum praebent; str. I. 11, 18 *infirmissimum quemque ex auxiliaribus;* III. 10, 8 *e navibus velocissimam;* similiter cum voce numerali ordinali str. IV. 1. 34 *ex his decimum quemque;* genetivus exstat str. II. 3, 3 *fortissimum quemque peditum;* 3, 22 *velocissimos peditum;* 8, 14 *fidelissimos equitum;* III. 3, 7 *fortissimos Macedonum.*

Praepositiones *de* et *inter,* quae ab aliis scriptoribus loco genetivi in latino sermone usurpantur, ab usu Frontiniano abhorrent; neque utitur Frontinus praep. *in,* nam str. I. 4, 13a *aliquid in condicionibus retexeret* enuntiatum *in condicionibus* a verbo retexendi pendere puto. De aqu. 12, 7 autem, ubi traditum est *summus his,* Buecheler scripsit *summus in his,* ex dicendi usu Frontiniano, quam modo explicavi, *summus ex his* scribendum esse apparet.

2. Nonnulla addenda sunt de adiectivorum constructione. Adiectivorum copiae, inopiae exstat *plenus,* quod, classico tempore plerumque cum genetivo constructum, a Frontino saepius cum ablativo poni solet, cf. strat. II. 13, 1 *flatu plena;* IV. 7, 9 *amphoras pice et taeda plenas;* 7, 10 *vascula viperis plena;* genetivus exstat str. I. 11, 4 *iniquitatis et insolentiae plenas;* II. 4, 17 *vehicula taedae et sebi et sulphuris plena.* — Cetera huius modi adiectiva Frontinus semper cum ablativo construit, de quibus agam sub ablativo.

De adiectivis, quae sunt *peritus, imperitus, avidus, memor,* similibus, nihil commemoratione dignum invenitur. — Ad posteriores scriptores se applicat Frontinus his exemplis: *indocilis* (Draeg. I. pg. 475) str. I. 11, 13 *rationis indocili milite; securus* str. III. 2, 2 *securis innoxiae consuetudinis,* sic Hor., Verg., Vell. (cf. Draeg. I. pg. 479); *tenax* inde a Verg., Hor. apud poetas et posteriores (Draeg. I. pg. 482): str. IV. 2, 9 *viros disciplinae tenaces.*

Ad adiectivum *constans* accedit strat. II. 3, 1 genetivus *animi,* qui a cuiusvis aevi scriptoribus et cum verbis et cum

adiectivis coniungi solebat, cf. Draeg. I. pg. 481. (Cf. Zechm. St. Vind. vol. 5. pg. 244).

Ex participiis fiunt adiectiva cum genetivo constructa: str. I. 3, 4 *obsidionalis morae impatiens;* de aqu. 1, 4/5 *diligentiore an amantiore reipublicae.*

3. Usus genetivi qualitatis Frontinianus pauca quidem praebet, quae ab elocutione bonorum scriptorum aliena sunt, sed tamen ea minoris sunt momenti. Cum nominibus propriis Frontinus genetivum qualitatis nunquam coniungit, cum appellativis saepius. Exempla quae et in libr. de aquis et in strategematon libris inveniuntur, maiorem in partem ad optimorum scriptorum usum conformata sunt, cf. de aqu. 3, 20. 21/22; 9, 5. 17; 10, 17 *(terras cultas soli pinguis);* 14, 13; 41, 12 *(maioris luminis calicem);* 43, 10 *(aquarum privati usus);* 43, 19 *(calices legitimae mensurae; amplioris moduli fistulae);* 44, 26 *(sunt magnae molitionis);* 45, 9; 47, 4; 51, 18 *(neglegentia longi temporis* = neglegentia longa); str. I. 5, 9. 10; 11, 11. 14; II. 3, 17 (bis); 4, 8; 5, 4. 31. 33. 46; 6, 1; III. 1, 4 *(quadridui iter);* 6, 1; 11, 4 *(tridui iter);* IV. praef. *(diversae substantiae);* 1, 1 *(delicatioris usus vasa);* 2, 6; 3, 6; 7, 5 *(gladiatorem exactae aetatis);* 7, 25; 7, 29. 36 *(nobilem clarae operae equitem).* Ab usu meliorum scriptorum discrepat Frontinus eo quod qualitates etiam ad formam et habitum et cultum spectantes genetivo, non ablativo exprimuntur. Haec exempla mihi in promptu sunt: str. I. 11, 10 *ingentis staturae hominem;* 11, 13 *cervam insignis formae;* II. 11, 5 *eximiae formae virgo;* III. 8, 3 *simulacra Persici habitus;* IV. 7, 5 *gladiatorem contemptae staturae;* 7, 29 *mediocris erant staturae.* Libri igitur tres priores et liber quartus in hoc usu concinunt. — Deinde propter maiorem insolentiam afferendos esse puto hos locos: str. I. 11, 6 *omnes virilis sexus;* II. 7, 7 *paucos levissimae operae;* III. 6, 6 *quendam exploratae sollertiae.* — Liceat mihi hic commemorare, ablativum qualitatis omnino perraro a Frontino usurpatum esse, de quo agam sub ablativo.

De breviloquentia; quae invenitur apud genetivum qualitatis, dixi pg. 36.

4. Genetivi obiectivi usum Frontinianum exemplis instruere opus non est, quippe in quo non multum sit, quod a meliorum scriptorum dicendi consuetudine abhorreat. Plerumque enim hunc casum cum substantivis abstractis Frontinus coniungit velut: *contemptus, cupiditas, diligentia, spes, fides, fiducia, admiratio, luctus, pudor, metus, miseratio, exspectatio, cura.* Commemoro tantum eos locos, quibus reflexivum *sui* more Senecae philosophi et Taciti (cf. Draeg. I. pg. 470) exstat, cf. de aqu. 9, 26 *adiectione sui;* 12, 12 *partem sui;* str. I. 5, 16 *sui contemptum;* II. 5, 44 *contemptu sui,* et nonnullos locos, ubi genetivus habet localem sensum: str. II. 4, 10 *conversatio castrorum;* de aqu. 44, 28 *castellorum et munerum stationes = stationes circa castella.*

5. Jam vero commemoro Frontini esse proprium, genetivum in libr. de aquis adhibere, ubi praepositio *in* cum ablativo exspectatur, cf. de aqu. 14, 22 *modulus habet diametri* (= *in diametro,* sicut 14, 16) *digitum unum;* item pg. 14, 26 et 27; 15, 17/18 *habet areae (= in area), id est luminis (= in lumine) in rotundum coacti digitos quadratos quinque;* item legitur cap. 39—63 *perimetri, diametri, capacitatis* pro praep. *in* c. abl. compluribus locis.

6. Genetivum appositionalem, quo pro appositione in eodem casu subiuncta genetivus ponitur, legi nonnullis locis, cf. de aqu. 4, 10 *imo Publicii clivo;* 13, 4 *clivum Publicii;* 9, 18 *duo Anionis aquae;* 7, 10 *Tepulae appellatio;* 14, 4 *quinariae nomine;* strat. I. praef. *strategematon appellatione;* 3, 3 *Cunctatoris nomen;* II. 11, 7 *cognomen Germanici.*

Genetivus circumlocutioni inservit de aqu. 13, 14 *nomina quinariarum = quinarias;* 14, 22 *unciae modulus = uncia;* strat. I. 2, 9 *(equos et) hominum corpora;* 5, 20 *caesis captivorum pecorumque corporibus = captivis* etc.; IV. 1, 14 *per corpora cohortium = per cohortes.*

7. De ceteris genetivi partibus, ut de genetivo possessivo, pretii, fusius disserendum non est; id tantum dico, huiusmodi exempla perraro in Frontinianis scriptis deprehendi; nam tribus tantum locis (str. I. 4, 13a; II. 5, 19; IV. 5, 14) genetivo possessivo, duobus (III. 5, 5 *pluris eam vendam;* IV. 1, 41 *tanti esse*) genetivo pretii usus est.

4. De ablativo.

Non ita multa, quae a meliorum scriptorum usu huius casus aliena sunt, in Frontinianis libris offendunt.

1. In constructione verborum, quae separandi significatione praedita sunt, maxima quidem ex parte discrepantia posita est, quia eorum aliquot nudum ablativum adsciscunt, cum Cicero et Caesar ea cum praepositione coniungant. Attamen addendum est, Frontinum in talibus verbis adhibendis non certam normam sequi, verum eadem verba modo cum nudo ablativo modo cum praepositione coniungere notione verbi non mutata. Quo clarius autem res perspiciatur, omnia verba, quae huc spectant, enumerabo in singulisque, quomodo in dativo tractando feci, addam, quibus locis cum ablativo, quibus cum praepositione coniuncta sunt.

Primum ea verba afferam, quae cum ablativo vero, i. e. locum, unde aliquid proficiscitur, exprimente coniunguntur. Haec verba simplicia notavi:

arcere cum praepositione *ab:* str. I. 10, 3 *arcere a cupiditate; capere* cum praep. *de:* de aqu. 4, 16 *ex manubiis de Pyrrho captis;*

cedere: str. I. 6, 10 *acie cederet;* in libr. IV. ter cum ablativo *loco:* IV. 1, 13 *loco hostibus cesserant;* 1, 26 *loco fugitivis cesserat;* 1, 34 *loco cesserant;* qua elocutione scriptores militares omnium temporum uti solent (cf. Draeg I. pg. 502);

fugere cum praep. *ex:* str. II. 8, 14.

fundere cum praep. *ex:* str. II. 5, 19 *ex insidiis fudit;*

labi cum ablativo: str. I. 5, 16 *labi equis;* plerumque praepositio adhibetur (cf. Draeg. I. pg. 502);

liberare ex consuetudine classicorum cum ablativo: str. I. 9, 1; III. 17, 4; IV. 7, 26;

movere cum abl.: str. IV. 1, 32;

mittere cum ablat. (cf. Kuehner, Gramm. lat. II. § 80, 3): str. III. 18, 1 *diversa porta miserunt;*

pendere cum praep. *ex* notione metaphorica: str. III. 16, 1 *qui ex illo pendebant;*

solvere cum praep. *ab:* str. IV. 1, 33 *a litore classem solvisset;*

venire cum praep. *ex:* str. II. 12, 4.

Deinde hoc loco adiungo verba spoliandi, nudandi. Frontinus ea congruenter cum melioribus scriptoribus cum ablativo construit. Cf.

spoliare: str. I. 8, 8 *spcliatus consiliis;* II. 11, 3 *spoliata principibus;*

nudare: str. III. 6, 1 *nudatas propugnatoribus urbis;* 9, 10 *nudatis defensore munitionibus;*

vacuare (verbum apud posteriores tantum usitatum, cf. Klotz): str. III. 6, 2 *vacuatam auxiliis;*

exuere: str. I. 6, 3 *exuitque praeda;* II. 5, 2 *castris exuit;* IV. 7, 40 (= II. 4, 15) *exuit castris;*

destituere: str. III. 4, 3 *alimentis destitutum;* 9, 5 *destitutas praesidio;* 11, 5 *auxilio destitutam.* Sub dativo quem dicunt auctoris notati sunt loci II. 5, 26 et III. 6, 4; sed conferas de hoc verbo Draeg. I. pg. 509 et 549.

Accedunt haec verba composita cum notione separandi praedita:

abdicare cum abl.: de aqu. 3, 16.

abducere cum praep. *ab:* str. I. 1, 2; II. 8, 13;

abstinere; Frontinus formam intransitivam usurpat idque cum nudo ablativo, sicut Cicero (cf. Draeg. I. pg. 506): str. I. 8, 2; IV. 1, 26;

avertere: str. I. 1, 29 *exercitus obviis hostibus aversus* sicut Tac. ann. I. 66; apud bonos scriptores semper fere cum praep. *ab* (Draeg. I. pg. 506);

delabi cum praep. *de:* str. I. 12, 6 *de caelo delapsa;*

decurrere cum praep. *ab* str. II. 4, 1 et *ex* str. I. 4, 2;

defluere cum abl.: de aqu. 34, 24 *purissimo defluens lacu;*

deiicere cum abl.: strat. II. 4, 4 *deiectis iugis Callidromi montis Aetolis;* Cicero usurpat praep. *de* et *ab,* Caesar et Livius praep. *de,* Livius ablativo non nisi metaphorice utitur (cf. Draeg. I. pg. 508);

deficere, si adest notio 'abfallen', cum praep. *ab* coniungitur, str. I. 8, 6; IV. 5, 22;

depellere: str. I. 12, 5 *ex hasta depulerat;*

desilire cum ablativo: str. II. 3, 23 *desilire equis,* sic poetae (Draeg. I. pg. 509); boni scriptores *de* et *ex* usurpant;

desistere cum abl.: str. III. 6, 4 *coepto desistere;* 11, 5 *itinere destitit;* sic Caesar et Livius;

deturbare cum praep. *ex:* str. IV. 7, 12 *deturbatis ex ea Poenis;* sic Livius (cf. Draeg. I. pg. 509);

discedere cum praep. *ab:* str. I. 5, 3 *ab ordinibus signisque discederet;* IV. 7, 42 *discederent a signis;* item Caesar, Cicero, Livius;

distare cum praep. *ab*: str. II. 1, 4;

educere cum praep. *ex:* str. II. 5, 42; cum *extra:* str. IV. 4, 1;

emittere: str. III. 13, 8 *a propinquo loco emittebat;*

evolare: str. I. 2, 8 cum praep. *ex;*

egredi pariter cum praep. et ablativo: str. III. 2, 9 *ex castello egressa;* 2, 10 *e nave egressi;* — I. 12, 1 *egrediens nave* (cf. pag. h. c. 43); III. 2, 8 *urbe egressa erat*; IV. 1, 9 *egressum via;*

effugere cum praep. *ex:* str. III. 6, 4;

erumpere cum praep. *ex* vel *ab:* str. II. 5, 3 *erumpunt e silva;* II. 3, 10 *a cornibus erumperent;* unus locus addendus est, quo nudus ablativus cum substantivo verbali, quasi verbum positum sit, coniunctus invenitur: str. III. 17, 2 *quattuor portis eruptione facta;* sed cf. pg. 68.

excedere cum ablativo, qui iam apud Ciceronem et Caesarem invenitur (cf. Draeg. I. pg. 512): str. I. 5, 5 *excedere Italia;* 5, 19 *Hispania excessurum;* II. 5, 36 *provincia excederent Parthi;*

excludere cum abl., ut iam apud Ciceronem: str. III. 3, 5 *oppido exclusus*;

extrahere cum abl.: de aqu. 44, 5 *quo* (scil. *foramine*) *venalem extrahunt aquam*; cum praep.: str. II. 3, 16 *ab Italia extraxerat;*

expellere: str. II. 6, 8 *expelli Europa* (sic. codd. meliores);

exsolvere cum abl.: str. IV. 7, 24. 35;

evadere cum praep. et cum ablativo: str. I. praef. *evadendo ex locis;* IV. 5, 4 *qua* (scil. *regione*) *evaderent;*

prohibere (meliores scriptores et ablativo et praep. *ab* utuntur, cf. Draeg. I. pg. 516) semel cum praep., ceteris locis cum ablativo construitur: strat. I. 10, 4 *prohibuit ab impetu;* dubius est locus II. 9, 7 *prohiberet eos a fuga;* — de aqu. 47, 12 *accessu prohiberentur;* str. I. 4, 9a *traiectu prohibebatur;* — IV. 5, 12 nunc legimus cum Gunderm.: *multa se prohibiturum,* sed fortasse *multis rebus eos prohibiturum* legendum est, si servatur ablativus traditus *multis.*

impedire cum praep. *ab:* str. IV. 7, 10;

interdicere; huic verbo, quod vulgo cum dativo personae et ablativo rei construitur, uno loco libri IV. accusativus rei adiunctus est, IV 1, 6 *vehiculorum usum omnibus interdixit.* Ex hac constructione, quae quidem apud Livium deest, sed inde ab Ovidio apud scriptores prosae orationis posteriores (Val. Max., Sen., Suet.) invenitur (cf. Draeg. I. pg. 515 et 516), nihil concludi licet de fide libri IV., cum alii loci qui cum hoc, de quo agitur, comparari possint prorsus desint;

recedere cum praep.: de aqu. 28, 22 *a veritate recessisse;* str. I. 3, 3 *recedere ab ancipiti discrimine;* III. 15, 5 *recessit ab obsidione*; IV. 1, 9 *ab agmine recessisse;* sed 1, 4 *ex ordine recessuros*;

redire cum praep. *ex:* str. I. 4, 2; 11, 1;

repellere cum praep. *a:* str. I. 4, 10;

removere cum praep. *a:* str. II. 6, 7 *ab una porta remota statione;* III. 2, 10 *remota a mari* (sic coniecit Zechm. St. Vind. vol. 5, pg. 232);

remittere cum praep. *ex*: str. III. 16, 1;

refugere cum pr. *ex:* str. II. 8, 11;

retrahere cum pr. *a*: str. II. 7, 2;

revocare cum pr. *a*: str. III. 9, 3;

surgere cum praep. *de*: str. IV. 3, 7 *surgere de nocte.*

2. Ablativum loci cum Frontinus persaepe adhibuerit et in hoc casu usurpando magna ex parte cum optimis scriptoribus consentiat, longum et supervacaneum existimo, omnia huius constructionis exempla afferre. Itaque ex magno eorum numero talia elegi, quae ad demonstrandam dicendi consuetudinem Frontinianam apta mihi viderentur. Eas quidem voces, quas Cicero, Caesar, alii omissa praepositione in solo ablativo ponere solent, Frontinus maxima ex parte congruenter cum illis construit.

a) Substantivum, quod est *locus,* semper in ablativo ponitur exceptis his locis: de aqu. 7, 12 *in proximis urbem locis;* 10, 29 *in quibusdam locis* (11, 22 *quibusdam locis*); 13, 22 *in plerisque Italiae locis;* str. II. 2, 14 *loco arto, in quo;* 5, 13 *in eis locis esse;* 5, 15 *in loco edito deprehensum*; 5, 35 *in confragoso loco;*

b) Deinde *parte* et cum praepositionibus coniungitur velut de aqu. 10, 8 *in superiori parte;* 23, 24 *in plerisque urbis partibus;* str. I. 5, 10 *ab altera parte;* III. 2, 10 *ab ea parte,* et in solo ablativo ponitur velut de aqu. 10, 25 *superiori parte;* 14, 11 *interiore parte;* 33, 20 *omni parte urbis;* str. I. 1, 6 *qua* (scil. *parte*); 5, 4 *superiore parte;* 5, 21 *obsessus ea parte;* II. 3, 5 *ea parte.*

c) Ablativis *via, itinere, itineribus* similibus non significatur locus, ubi aliquid est, sed via, per quam motus fit (cf. Draeg. I. pg. 522). Omnibus temporibus tales dictiones in

usu fuerunt. Nonnulla exempla ex Frontino afferam: str. I. 1, 6 *inferiore itinere;* 1, 9 *occultatis itineribus;* 2, 5 *alia via;* 4, 1 *angusto itinere;* 4, 6 *magnis itineribus*; 8, 4 *occultis itineribus;* II. 5, 24 *arta via;* 5, 42 *pedestri itinere;* substantivum *via* omissum est str. I. 4, 4 *illā occurrente multitudine;* similia leguntur str. III. 9, 3 *una et angusta semita;* II. 5, 31 *toto spatio* (abl. temporis?) *persecuti caedunt;* I. 11, 1 *circuitu maiore;* 5, 38 *exiguo circuitu.* — Permultis locis libr. de aquis exstat *via* cum significatione loci, ubi aliquid est, cf. 3, 19 *via Praenestina;* 6, 5 *via Valeria;* 6, 7 *Sublacensi;* 6, 25 *via Latina* alia; 10, 19 *eadem via.*

d) Accedunt alia substantiva, quae a Frontino in ablativo ponuntur, cum apud meliores scriptores cum praepositione coniuncta inveniantur, cf. *latus:* str. I. 2, 7 *alio latere;* II. 3, 17 *utroque latere duxit;* 3, 22 *dextro latere locavit . . . dextro latere collocavit;* cum praep. str. I. 4, 2 *ab utroque latere expicuit;* — *cornu:* str. II. 3, 1 *dextro cornu conflixit;* (in eodem exemplo: *in dextro cornu constituerentur . . . in sinistro);* 3, 3 *dextro cornu circumiit* (in eodem exemplo bis, 3, 2 semel *in dextro cornu);* 3, 16 *dextro . . . sinistro cornu;* 3, 20 *utroque cornu conlocasset* (3, 22 *in sinistro cornu locavit);* 4, 11 *sinistro se vicisse,* ubi substantivum omissum est; 7, 11 *dextro cornu* (7, 10 *in dextro cornu);* — *aditus:* str. I. 4, 4 *quo aditu;* — *vadum:* str. I. 4, 9a *libero vado transgressus;* 5, 4 *vado transire;* — *porta:* str. III. 18, 1 *diversa porta miserunt* (cf. pg. 64); 17, 2 *quattuor portis eruptione facta* (cf. pg. 65); — *alveus:* str. I. 1, 6 *demisso alveo Euphrates decurrit;* — *ripa:* str. I. 4, 9 *adversa ripa.* Ex libris de aquis subiungo hos loci ablativos liberiores: de aqu. 4, 10 *imo clivo;* 5, 3 *vicesimo miliario;* 8, 30 *miliario quartodecimo* (aliis locis velut de aqu. 6, 5. 8 etc. *ad miliarium);* 6, 12 *rivo subterraneo;* 7, 2 *suo [rivo]* etc.; 6, 14 *opere supra terram;* 6, 16 *opere arcuato* etc.; 11, 17 *capite* »an der Fassung« (23, 11. 27;

24, 2 aliis *ad caput)* etc. — In libro IV. strat. praeter ablativos usitatissimos unum simile exemplum repperi: IV. 3, 7 *duobus lectis discumbebatur.*

e) In construendis verbis *collocandi, ponendi, considendi* sim. Frontinus eundem usum sequitur atque optimi scriptores, praeterquam quod apud collocandi verbum non raro ablativus solus loci ponitur (cf. pg. 68); deinde uno loco verbum *defigere* cum praep. *in* cum accus. coniunctum est: str. II. 3, 7 *in terram defigeret;* tum adiungo, apud verbum *distribuendi* praepositionem *in* cum accusativo et cum ablativo promiscue usurpari (cf. Zechm. St. V. vol. 5. pg. 249).

f) Verba *tenendi, retinendi, se continendi* in universum praepositionem *in* cum ablativo adsciscunt, cf. str. II. praef. *in fide retinendis;* 1, 5 *in armis retinuit;* 5, 18 *in collibus se continentem . . . . in montibus se continuerant;* 12, 1 *cohortem in statione detinuit;* III. 17, 5 *in vallo militem tenuit;* 17, 6 *in castris tenuit;* IV. 7, 42 *in agmine milites continere.* — Praepositio *intra* exstat: de aqu. 35, 3 *incommodum intra se tenet;* str. II. 1, 2 *intra castra continuit suos;* 5, 4 *intra Panormum copias tenuit;* III. 17, 7 *continendo militem intra munimenta.* — IV. 1, 14 legitur: *sub eodem vallo continere.* — Ablativus exstat: str. I. 4, 7 *quae stationibus tenebantur;* 5, 28 *suos castris continuit;* III. 11, 3 *moenibus se continebant.*

g) Paucis dicam hoc loco de verbis *accipiendi, excipiendi, recipiendi,* quae Frontinus semper fere cum praepositionibus *intra* vel *in* cum accus. construxit. Cum praep. *in* cf. de aqu. 12, 7 *in eosdem arcus;* 12, 15 *in altiores arcus recipiuntur;* 15, 6 *excipiuntur in castellum;* 24, 13 *recipi in ductum;* 24, 27 *in arcus excipitur;* 24, 29 *in arcus recipitur;* 25, 7 *in arcus recipiuntur;* 25, 26 *in piscinam recipitur;* 35, 25 *in quos (lacus) excipitur;* — strat. II. 3, 3 *in loca se reciperent;* 3, 7 *in mediam aciem recepit;* 3, 21 *in medium recipiuntur;* 5, 27 *in ultimum agmen recepti;* 5, 30 *receptus in gregem;* 8, 6 *non recepturum se in*

castra; III. 2, 11 *in portum receptus.* — Praepos. *intra* invenies; str. I. 3, 4 *intra munitiones se receperunt;* II. 3, 8 *recipere intra munimenta;* 3, 10 *se intra ordines recepissent;* 3, 17 *intraque eos aciem recepit;* III. 2, 7 *intra portas recepti.*

Paucis locis inveni ablativum, qui magis ad modalem et instrumentalem significationem spectat (cf. Draeg. I. pg. 527): de aqu. 12, 1 *contectis piscinis excipiuntur;* 29, 17 *opere arcuato exceptam;* str. IV. 7, 24 *sua fide recepit.*

h) Denique hic commemoro verba *claudendi, condendi, mergendi.* Ablativus autem, si loco praepositionis exstat, habet sensum magis instrumentalem quam localem (cf. Draeg. I. pg. 550 et 552):

claudere, plerumque ablativus instrumentalis in usu fuit, praepositio *in* inde a Livio adhibetur, ut str. IV. 7, 34 *in castello clausus* (cf. Draeg. I. pg. 551);

includere, inde a Livio cum ablativo, de aqu. 15, 2/3 *eodem lumine plures quinariae includuntur;* str. III. 8, 3 *incluso Sardibus Croeso;*

condere cum ablativo coniungitur, qui usus apud poetas invenitur (cf. Draeg. I. pg. 551); str. III. 14, 3 *cupis conditum;* — str. III. 4, 6 Schanzius (cf. in Philol. vol. 48. pg. 676) sine iusta causa scripturam traditam *in quibus id conferebatur* mutare vult in *in quibus id condebatur;*

abscondere, celare Frontinus construit cum praep. *in* cum abl.: str. II. 5, 31 *in vicina silva copias abscondunt;* II. 5, 22 *cum . . . partem in confragosis rupibus celasset;*

occultare cum ablativo: str. III. 13, 2 *occultatam balteo epistulam;* cum praep. *in* str. II. 5, 35 *cum . . . in confragoso loco occultasset;* III. 10, 2 *quos in proximo occultaverat;* cum praep. *post:* str. II. 5, 44 *parte navium post promunturia occultata;*

delitescere cum praep. *ad:* str. I. 6, 4 *delituerunt ad extremas (arbores);*

mergere cum praep. *infra* exstat de aqu. 11, 20 *infra terram aquas mergebant;*

3. De ablativo temporis non multum deprehendi, quae ut discrepantia a meliorum scriptorum usu commemoratione digna mihi viderentur. Id tamen statuendum est, rarissime a Frontino pro ablativo temporis praepositionem usurpari. Id enim, quod nos dicimus »zur rechten Zeit« Frontinus praepositione *in* exprimit: str. I. 1, 1 *in tempore;* II. 1, 3 *in tempore,* qua in re cum optimis scriptoribus consentit (cf. Draeg. I. pg. 530); usitatius est hoc sensu *suis temporibus,* quod exstat de aqu. 46, 21. — Substantivum *bellum* idque cum attributo coniunctum Frontinus semper omissa praepositione in solo ablativo ponit. Cf. e. g. str. I. 1, 6 *Parthico bello;* II. 4, 7 *fugitivorum bello;* III. 14, 1 *bello civili;* IV. 1, 43 *bello Dardanico,* plurimis aliis locis. — Hoc loco commemoro, str. IV. 3, 14, ubi Gundermannus *Germanico bello* scripsit, contra auctoritatem optimorum codicum cum Hirschfeldio[1]) scripturam deteriorum codicum *Germanici eo bello* servandam esse; nam ut tumultus Julii Civilis bellum Germanicum appellaretur hoc quidem loco fieri non potuit, cum expressis verbis additum sit: *quod Julius Civilis in Gallia moverat.* Cf. etiam str. II. 11, 7 *Germanicus eo bello, quo . . . . . meruit.* De str. IV. 3, 14 egit etiam Wolfius[2]) lectione *Germanici eo bello* innixus.

Ceterum operae pretium mihi non videtur, omnia huius constructionis exempla proferre, praesertim cum nihil inusitati praebeant. Saepissime enim congruenter cum bonis scriptoribus ad significandum tempus, quo aliquid fit (cf. Draeg. I. pg 528) in ablativo ponuntur voces velut *dies*[3]),

[1]) Cf. Hermae vol. XXIV. pg. 103

[2]) Cf. 'Jahrbücher des Vereins von Altertumsfreunden im Rheinland', vol. LXXXV. pg. 172 sqq.

[3]) Huius vocis genus quamquam plerumque est masculinum (cf. de aqu. 45, 4; strat. I. 1, 1; 4, 5 *postero die;* 11, 3. 7; II. 1, 6. 15; 9, 9 *postero die,* aliis; III. 2. 7; 11, 4 al.; IV. 1, 43; 3, 13 al.), tamen

nox, lux, hora, tempus, hiems, aestas, annus, consulatus aliae, sed commemoratione dignus est unus locus, quo dicitur *crepusculo* (str. IV. 3, 7). Separatim autem nonnullos locos afferendos esse puto, quibus hoc ablativo tempus significatur, quod totum actione quadam completur, ubi exspectamus potius accusativum, cf. de aqu. 28, 4 *tota deinceps aetate durantem;* 46, 18 *ut . . . quam paucissimis diebus rivi cessent* (= deficiant); str. I. 2, 4 *longo tempore Romae morarentur;* 11, 19 *tota die;* II. 2, 14 et III. 15, 4 *tota nocte;* fortasse etiam II. 5, 31 *toto spatio* (cf. pg. 68); III. 6, 4 *aliquanto tempore oppidum obsedisset.* Huiusmodi ablativi temporis apud posteriores demum frequentiores fiunt (cf. Draeg. I. pg. 534).

4. De ablativi modi usu ea, quae in Frontinianis scriptis inveni, a meliorum scriptorum dicendi consuetudine non ita valde abhorrent. Constat, talibus ablativis in universum addi attributum. Si autem deest attributum, boni scriptores praepositionem *cum* usurpant. Sic quoque Frontinus, cf. de aqu. 3, 3/4; str. I. 8, 9; II. 4, 4; 5, 34; 9, 9; III. praef.; 9, 10. Pauci tantum loci exstant, quibus nudus ablativus legitur, sed plurimi tales ablativi a Frontino usurpantur, quales apud Ciceronem, Caesarem, alios leguntur, cf. strat. II. 7, 3 *consilio deductos;* III. 17, 6 *industria fecerat* (in tali constructione *industria* apud bonos scriptores nondum exstat, etiam Frontinus aliis locis praepositiones aut *de* aut *ex* posuit); IV. 1, 43 *consistere ordinibus* (singularis numerus *ordine* saepe apud Ciceronem legitur, sed pluralis non invenitur); 6, 2 *cursu contendens.* — Omnino abhorrent ab optima latinitate: str. I. praef. *velocitate consuli debet;* IV. 7, 19 *vicibus remiges exercebat,* quale exemplum alibi non inveni; sed his locis etiam de ablativo instrumenti cogitari potest (Draeg. I. pg. 536).

femininum non solum adhibetur, si dies certa significatur, sed etiam aliis locis, quibus praestituta dies non notatur, idque et in libr. I—III. et libr. IV.; cf. *postera die* str. I. 1, 12; II. 4, 6; IV. 7, 22; *tota die* str. I. 11, 19. Hunc usum observavit Fritzeus l. c. pg. 29.

Saepe autem Frontinus huic ablativo genetivum addit. Ac primum exstat sicut apud Livium ablativus *modo* cum genetivo uno loco, de aqu. 6, 10 *stagni modo;* tum affero str. I. 12, 5 *infulae more;* II. 3, 1 *spectantium more;* 3, 17 *Romanorum more;* III. 2, 8. 10 *negotiatorum specie;* 2, 6 *consilii specie;* IV. 1, 8 *hostium specie.* Pro ablativo, qui est *modo,* in libris strategematon usurpatur praep. *in* cum accus., cf. I. 5, 1 *in modum cavae lunae;* II. 5, 12 *in modum defunctorum;* 5, 13 *maiorem in modum;* alii ablativi cum genetivo coniuncti exstant str. I. 5, 22 *silentio noctis;* IV. 6, 1 *paucorum iactura.* Imprimis autem huc referenda sunt substantiva in *u* exeuntia: cf. str. I. 1, 10 *iussu Lacedaemoniorum;* II. 7, 1 et 2 *iussu suo;* III. 16, 4 *ipsius iussu;* de aqu. 7, 23 *iussu imperatoris;* str. I. 4, 11 *iniussu populi Romani;* IV. 1, 32 *iniussu consulis;* 1, 38 *iniussu ducis;* II. 6, 1 *Camilli ductu;* 8, 12 *ductu Archelai;* II. 7, 8 *subito consensu;* IV. 1, 22 *omnium consensu;* de aqu. 37, 6 *censorum permissu;* 37, 15 *quorum arbitratu,* quae exempla omnibus temporibus in usu fuerunt; inde a Livio (cf. Draeg. I. pg. 538) invenitur, quod legitur str. I. 4, 1 *quorum respectu.* — Iam vero accedunt substantiva vestitum significantia, quae a Frontino semper nudo ablativo usurpantur, cf. strat. I. 2, 1 *habitu servorum;* 2, 2 *Tusco habitu;* II. 1, 6 *militum habitu;* 4, 18 *furiali habitu;* 9, 9 *habitu captivarum;* 11, 2 *habitu languentium;* III. 2, 3 *Romanorum habitu;* 2, 9 *eorundem vestitu;* 3, 6 *venatorum habitu;* 8, 2 *habitu eodem.*

Omnino statuendum est, Frontinum, si ablativo modi adiectivum addit, multo saepius solum ablativum usurpare quam praepositionem *cum;* nam, nisi fallor, haec tribus tantum locis invenitur, cf. de aqu. 46, 17 *maxima cum festinatione;* str. I. 9, 3 *minore cum metu;* III. 9, 10 *cum magno strepitu.* Ceteris locis nudus ablativus ponitur.

Ad exprimendum comitatum Frontinus praepositione *cum* utitur, velut str. I. 1, 5 *cum tota classe;* II. 4, 6 *cum parva manu;*

III. 10, 5 *cum reliqua parte exercitus;* IV. 5, 9 *cum militibus accessit* etc.; sed longum est, omnia huiusmodi exempla afferre. Perpauci tantum loci notandi sunt, quibus *cum* omissum est: str. I. 1, 9 *duplicatis adgressus copiis;* 6, 3 *requietis suis adgressus;* II. 3, 3 *optima parte virium suarum circumiit.*

5. Ablativi causae usum Frontinianum accuratius exemplis illustrare mihi opus esse non videtur, cum haec constructio et raro a Frontino usurpata sit et omnibus fere locis, quibus invenitur, nihil insoliti exhibeat. Coniungit enim Frontinus hunc casum cum verbis intransitivis (raro cum transitivis) ad exprimendam causam in ipso subiecto positam; participium non ita saepe his ablativis adiungitur. Apud Frontinum sicut apud scriptores classicos inveniuntur *fiducia, metu, cupiditate, amore, pudore, contemptu, inopia, desperatione, spe* etc. Causam extra subiectum positam Frontinus raro hoc ablativo exprimit, cf. de aqu. 24, 16 *errore fieri;* 35, 5 *imperitia aquarum,* aliis; str. I. 5, 11 *imprudentia suorum;* II. 3, 14 *vigilia marcentibus;* III. 2, 9 *quo errore deceptis;* IV. 5, 20 *fame perisse,* aliis; saepius invenitur ablativus *nomine* (ut *nomine Caesaris datur, erogatur*) in libr. de aquis; similiter str. II. 7, 4 *regis nomine.* Sed saepe fieri non potest, ut pro certo dicatur, utrum ablativus instrumenti an causae statuendus sit. Idem dicendum est de nonnullis adiectivis, quae Frontinus secundum communem latini sermonis usum cum ablativo coniungit, cf. *contentus*: de aqu. 3, 2 *contenti usu aquarum;* str. IV. 3, 1 *vino contentum;* 3, 12 *gregalium portione contentus; dignus:* de aqu. 41, 26 *dignum adnotatione; insolens*; str. I. 3, 3 *successibus proeliorum insolentem; tumidus*: strat. I. 11, 2 *successibus tumidum; alacer*: str. I. 5, 36 *alacre successibus;*

Verba, quae animi affectum significant, cum nudo ablativo Frontinus construit, cf. str. I. 11, 19 *utro gauderet.*

6. Iam videamus, quid de ablativi instrumentalis usu Frontiniano sit dicendum. Liceat autem mihi in iis exemplis

illius constructionis acquiescere, quibus aliquid inusitati inesse mihi videtur. Frontinus enim aliquot locis personam in hoc casu posuit, quod meliores scriptores rarius facere solent. Praeter voces *copiae, armati, auxilia, praesidium* (omnibus locis excepto str. III. 3, 6 *a praesidio tenebatur*) affero str. II. 3, 1 *validissimis militibus exstruxerat;* 3, 2 *stipatam electis viris;* 3, 22 *tironibus supplevit;* 9, 9 *milite complevit;* IV. 2, 5 *militibus superavit;* 7, 33 *impleverant fortissimis viris.* Inveniuntur quoque exempla, in quibus dubium est, utrum persona in ablativo instrumenti an in dativo auctoris posita sit. Sed cum his locis (III. 6, 4; II. 5, 26) persona minus instrumentum sit quo aliquid efficitur, quam subiectum quod agit, dativum auctoris cum Draeg. I. pg. 509 statuo. Cf. h. c. pg. 54; pg. 64.

Deinde notandum est, Frontinum saepius loco huius ablativi praepositionem *per* posuisse, ut rem, qua aliquid efficitur, significaret. Hic usus praepositionis *per* inde a Livio apud prosae orationis scriptores latius patere coepit (cf. Draeg. I. pg. 604); sed de hoc usu agam pg. 84.

Id quoque hic commemoro, uno loco legi praepositionem *ab,* ubi potius nudus ablativus exspectatur: str. II. 4, 9 *consternati a mendacio;* aliis huiusmodi locis nudus ablativus ponitur, cf. str. II. 4, 12 *novitate consternati;* 9, 5 *ostento consternati.* Semel etiam invenitur *ab* pendens ab adiectivo: str. I. 2, 9 *ab itinere strigosiores equos* (cf. Dr. I. pg. 550); similiter praep. *ex* eodem loco: *coloratiora hominum, ut ex via, corpora.*

Denique hoc loco commemoro, Frontinum ablativo instrumenti saepissime usum esse, ut eventum strategematon explicationi, quae antecedit, adnecteret et eventum ipsum indicaret. Hunc usum pluribus verbis exposuit Esternauxius l. c. pg. 15, ut demonstraret aequalitatem, quam praeberet structura exemplorum et libr. I—III et libri IV. Ex locis ab illo congestis hic eas tantum elocutiones repeto, quae in libro quoque IV. inveniuntur, cf. *hac, ea, qua ratione:* str.

II. 2, 13; 2, 14; 3, 17; 7, 2; 8, 11; III. 6, 5; IV. 7, 21; *hac, qua persuasione:* str. II. 5, 18; 7, 3; 13, 7; IV. 7, 18; *qua* vel *cuius exspectatione:* str. II. 9, 6; IV. 7, 20; *quo facto:* str. II. 4, 1. 4; 5, 45; III. 6, 3; IV. 1, 8; 7, 26. 29; *quo:* I. 11, 10; IV. 5, 11.

7. Materiam, ex qua aliquid factum est, Frontinus aut nudo ablativo, quod melioribus scriptoribus in usu non fuit (cf. Draeg. I. pg. 636), aut praepos. *ex* significat, cf. de aqu. 46, 14 *tofo exstructae;* 47, 3 *lapide quadrato consistunt;* str. I. 5, 2 *vallum cervolis et alio materiae genere constructum;* 5, 8 *materia exstructum;* 7, 2 *quibus (materiis) rates construerentur;* — str. I. 5, 21 *ex vimine silvestri catenas conseruit;* 7, 6 *scuta ex vimine.* — Tum partes quoque, ex quibus totum constat, a Frontino in ablativo solo ponuntur aut praepositio *ex* adhibetur:

constare Cicero cum praep. *ex* coniungit (cf. Draeg. I. pg. 556); Front. de aqu. 15, 15 *quae constat ex numero digitorum quadratorum;* 23, 12 *ex duobus rivis constat;* 25, 25; 26, 12 *ex pluribus acquisitionibus constat;* 45, 7 *ea constat ex locis aedificiisve;* strat. II. 3, 16 *ex diversis partibus . . . . ex Italicis constabat;* sed de aqu. 25, 15 *venis quibusdam constabat;* 46, 21 *structura constant;*

contineri (enthalten sein) ut apud bonos scriptores (cf. Draeg. I. pg. 557) cum solo ablativo, uno loco excepto: de aqu. 28, 8 *in erogatione maior pars continetur.*

8. In ablativo limitationis vel relationis adhibendo Frontinus a scriptoribus aureae aetatis non dissentit. Cuius usus exempla multa sunt neque quicquam insoliti praebent: cf. de aqu. 10, 20 *natura purissimus;* str. I. 1, 6 *natione Cyrrhestem;* II. 2, 13 *aequati numero, virtute praestantes;* IV. 1, 10 *senem moribus.*

9. Ablativi pretii unum exstat exemplum: str. IV. 5, 20 *CC denariis murem venisse.*

10. Jam dixi pg. 61 a Frontino semper fere genetivum qualitatis adhiberi; praeterquam quod dicit str. II. 8, 4 *tribunus militum consulari potestate,* ubi quidquam mutare omnino non licebat, ablativi exempla leguntur de aqu. 6, 10 *stat (aqua) colore praeviridi;* str. III. 2, 7 *plerosque muliebri ornatu;* IV. 1, 28 *erat foedato habitu.*

11. Ablativum mensurae vel differentiae Frontinus raro usurpavit in libris strat., saepius in libris de aqu. Praecipue ad voces *maior, minor, amplius, plus, minus* modus, quanto maior minorve res sit, vocibus numeralibus expressus in ablativo ponitur. Alii ablativi, quos Frontinus cum comparativo coniungit, leguntur: str. I. 10, 3 *multoque maiorem;* — sed saepius exstat *longe,* cf. II. 3, 12 *longe minoris;* 5, 9 *longe maior;* de aqu. 23, 7; 28, 14 *longe ampliorem;* 28, 18 *longe maior copia;* — tum memoro: de aqu. 36, 19 *quanto potior cura;* str. II. 5, 19 *maiorem aliquanto exercitum;* de aqu. 16, 2 *exiguo minus;* 29, 1 *exiguo minor;* str. I. 4, 9a *paulo remotiorem.* — Str. I. 1, 6 *triduo antequam;* III. 11, 2 *non multo post.*

Nunquam cum verbis notionem comparativam exhibentibus hic ablativus coniunctus est, sed exstat ille, nusquam accusativus, apud verba, quae intervallum inter duo loca vel homines significant, cf. str. III. 8, 2 *longo spatio distantia;* II. 1, 4 *castra eius a Punicis trium milium passuum spatio distarent;* II. 10, 2 *paucis milibus passuum distarent;* 2, 5 *quingentis non amplius passibus abessent.*

12. Ablativus comparationis a Frontino semper adhibetur pro *quam* cum nominativo, cf. de aqu. 11, 29 *omnibus humilior Alsietina est;* 13, 27 *quadratus rotundo maior; rotundus quadrato minor;* 26, 25 *Claudia abundantior aliis;* 29, 13 *leviora ceteris vitia;* 35, 3 *plerisque inferior;* str. II. 5, 9 *longe nostro maior exercitus.*

Quod pertinet ad comparationem compendiariam quae dicitur, apud Frontinum praeter str. I. 1, 9 *velocius omni nuntio* nullum alius generis exemplum legitur nisi ablativus *solito,* cf. str. I. 4, 7 *frigidior solito dies;* II. 1, 4 *solito diutius;* 9, 6 *solito attentius;* 17, 6 *artiora solito.*

Ad voces *minus, plus, amplius* Frontinus attributa mensuram vel numerum significantia particula *quam* aut adiecta aut omissa in eodem casu, qui, si comparativi non exstant, necessarius est, ponit, cf. de aqu. 17, 1 *non plus quam tredecim;* 28, 11 *conceptio non amplius quam trium milium;* str. II. 2, 13 *non amplius quam parem numerum;* — de aqu. 16, 2 *aream digitorum minus viginti;* 18, 2 *digitos non minus duodecim;* 25, 13 *amplius trecentae quinariae;* str. I. 1, 6 *quadraginta amplius dies;* II. 1, 14 *non amplius quindecim milia;* IV. 1, 10 *minor quadraginta annos natus* (sicut Nep., cf. Draeg. I. pg. 566); — uno loco legi ablativum: de aqu. 26, 26 *habet non plus quinariis duobus milibus.*

13. Restat, ut dicam de nonnullorum verborum et adiectivorum constructionibus:

occupari, quod verbum Cicero, Nepos cum praep. *in* coniungunt, Frontinus sicut plerumque Livius (Draeg. I. pg. 553) cum ablativo construit, cf. str. III. 1, 4 *sacrificio occupatos;*

niti sicut meliores scriptores cum ablativo: str. III. 9, 3 *quibus nitebantur;*

fidere Frontinus semper cum dativo construere videtur, cf. str. II. 3, 17 *pervicaciae multum fidebat;* 3, 19 *virtuti suorum fideret,* quare dativum statuo etiam str. I. 1, 9 *fidens viribus;*

diffidere Frontinus cum ablativo congruenter cum scriptoribus argenteae aetatis coniungit (Draeg. I. pg. 557): str. I. 8, 5 *paucitate suorum diffidens.*

Verba copiae et inopiae ut *egere, indigere, carere, vacare, abundare* Frontinus semper cum ablativo coniungit.

Neque aliter res se habet in adiectivis copiae et inopiae, excepta voce *plenus,* de qua cf. pg. 60. Cf.

refertus: str. III. 2, 8 *saccis frumentariis palea refertis.* Excerpta quidem codicis Gothani praebent *paleae,* quam scripturam defendit Zechm. St. Vind. vol. 5. pg. 237, sed in omnibus aliis codicibus exstat ablativus;

onustus: str. I. 4, 2 *praeda onustus;* II. 5, 42 *omni onustas milite;* III. 2, 8 *iumenta saccis onusta;* 3, 6 *onusti venatione;*

oneratus: str. II. 5, 31 *oneratique pabulo;* III. 3, 7 *oneratas praeda naves;* cf. Zechm. St. Vind. vol. 5. pg. 247;

vacuus: str. III. 2, 5 *vacuam defensoribus urbem;* 6, 3 *vacuam eam defensoribus;* 9, 3 *vacua defensoribus;*

ferax: str. IV. 7, 18 *quibus (elephantis) ferax est Numidia;*

14. Verba *uti, abuti, fungi, potiri, opus est* a Frontino semper cum ablativo construuntur; nam etiam str. III. 6, 7, ubi codices HP praebent *potitus est civitatem,* Gundermannum collatis exemplis I. 2, 3; 7, 12; 11, 6; II. 5, 4; 5, 13; 8, 6; III. 1, 2; 3, 1; 4, 1; IV. 1, 16; 7, 19; 7, 38 recte scripsisse puto *potitus est civitate.*

V. De usu praepositionum.

Longum est, omnia ad usum praepositionum pertinentia sive usitata sive insolenter posita sint afferre, quare eas tantum materiae partes exemplis instruere mihi in animo est, quae magis ad usum scriptorum posteriorum spectant, et eas, in quibus aequalitates vel diversitates inter libr. IV. strat. et reliqua scripta Frontiniana apparent.

1. Praepositiones cum accusativo:

ad, apud. Primum commemoro, Frontinum, ut propinquitatem loci significaret, in libris de aquis et praepositionem *ad* et ablativum loci adhibuisse, cf. de aqu. 3, 22 *locus est ad portam;* item 4, 10 aliis; 4, 6 aliisque *ad miliarium;* 23, 11 aliis *ad caput;* sed de aqu. 5, 3; 8, 30 aliis *vicesimo miliario;* 11, 17 *capite;* cf. pg. 68;

ad significat 'gegenüber': de aqu. 17, 23 *ad cursum aquae obpositus;* str. I. 5, 6 *obiecta ad ingressum catena.*

Woelfflinus l. c. pg. 73 contendit, librorum strat. I—III auctorem praepositione *ad* non usum esse nisi ad significandum

locum, quo proelium commissum esset, praepositionem *apud* adhibitam esse ad significandam urbem, quae oppugnaretur; in libro autem quarto ad urbes obsessas significandas loco illius *apud* positum esse *ad*. Hanc quam contendit Woelfflinus discrepantiam inter libros tres priores et librum quartum non esse pluribus verbis Fritzeus pg. 30 et Esternauxius pg. 9 et 10 demonstraverunt. Repeto locos ab Estern. allatos, ex quibus apparet, praepositionem *ad* a Frontino atque Pseudo-Frontino qui dicitur et ad proeliandi locum notandum et ad urbes obsessas significandas usurpatam esse, praepositionem *apud* in libris I—III eodem modo promiscue adhibitam esse. In libro enim IV. praep. *apud* omnino deest.

Praepositio *ad* adhibetur

a) ad proeliandi locum notandum: str. II. 1, 9 *ad Chaeroneam;* 3, 1 *ad oppidum Indibile;* 3, 7 *ad Cannas;* 3, 19 *ad Arbela;* 5, 23 *ad Trebiam;* 5, 24 *ad Trasumennum;* 5, 27 *ad Cannas;* 5, 42 *ad Chaeronessum;* 6, 4 *ad Trasumennum;* 8, 13 *ad Mundam;* 13, 6 *ad Ilerdam;* IV. 1, 21 *ad castellum Initia;* 1, 24 *ad Sirim;* 2, 9 *ad Thermopylas;* 5, 5 *ad Cannas;* 5, 7 *ad Cannas;* 7, 25 *ad Trasumennum;*

b) ad urbes obsessas significandas: str. III. 17, 4 *ad Dyrrhachium* (hoc effugit Esternauxium); IV. 1, 1 et 7, 27 *ad Numantiam.*

Praepositio *apud* adhibetur:

a) ad proeliandi locum notandum: str. I. 2, 7 *apud oppidum Vetuloniam;* 5, 17 *apud Aeserniam;* 11, 20 *apud Piraeea;* II. 1, 14 et 2, 4 *apud Tigranocertam;* 1, 18 *apud Aegospotamos;* 2, 6 *apud Numistronem;* 2, 7 *apud Cannas;* 3, 21 *apud Asculum;* 4, 7 *apud Calamatrum;* 5, 31 *apud Lauronem;* 5, 34 *apud Cantennam;* 5, 39 *apud Forum Gallorum;* 9, 8 *apud Marathona* (bis); 9, 10 *apud insulam Cypron; apud flumen Eurymedonta;* (III. 9, 3 *apud flumen Mulucham);* III. 17, 5 *apud Rhyndacum;*

b) ad urbes obsessas significandas: str. II. 8, 7 *apud Numantiam;* III. 3, 1 et 6 *apud Tarentum;* 7, 4 *apud Babylona;* 9, 1 *apud Carthaginem;* 9, 2 *apud Arpos;* 10, 5 *apud Agrigentum.*

In hoc usu praepositionis *apud* consentit Frontinus cum Sallustio, Tacito, Suetone; nam Livius, ut urbem, prope quam aliquid factum est, significaret, plerumque *ad,* uno loco *apud* adhibuit (cf. Draeg. I. pg. 585). Hoc sensu Velleius usurpat praepositionem *circa,* quae apud Frontinum quoque exstat: str. I. 4, 7 *circa Abydon;* 5, 23 *circa Amphipolim;* II. 4, 6 *circa Aquas Sextias;* item IV. 1, 14 *circa urbem Malventum;* 1, 43 *circa Dyrrhachium.*

Ad significat tempus, quo quid fit, his locis: de aqu. 44, 29 *ad subitos casus;* str. II. 3, 3 et 14 *ad primum impetum;* 3, 16 *ad impetum elephantorum;* 5, 23 *ad primum incursum;* 5, 29 *ad incendium;* 9, 5 *ad cuius conspectum;* 12, 1 *ad lucis exortum;* III. 10, 4 *ad primam eruptionem;* 12, 1 *ad conspectum eius.* Hic usus, rarus apud Ciceronem, inde a Livio magis percrebrescit.

Ex locis, quibus *ad* sensum finalem exhibet, affero: str. I. 4, 10 *ad vadi tutelam redissent;* III. 6, 3 *ad tutelam aliarum dilaberentur;* IV. 1, 9 *ad nullius rei rapinam recessisse.* — I. 5, 17 *ad fidem remanentium vigilias divideret;* 11, 2 *ad eius rei fidem conferret;* II. 5, 31 *ad cuius rei sensum emittente legionem; ad cuius rei praesidium educente exercitum;* III. 8, 2 *ad cuius simulationem curavit;* 17, 1 *veniente ad obsidionem;* 11, 2 *ad alios actus occasionem;* IV. 7, 14 *magni ad alia usus;* 7, 22 *ad deliberationem spatium;* II. 6, 9 *locum ad fugam;* 10, 2 *tempore ad requiem* (cf. pg. 55); — II. 5, 23 *ad id;* 5, 44 *ad hoc ipsum.* — Duobus locis auctor libri IV., si Gundermanni editionem sequimur, praepositionem *ad* sensum finalem exhibentem brevitate quadam elocutionis usurpavit, cuius usus exempla in libris I—III. non inveniuntur. Gunderm. praeeunte Hartelio (cf. l. c. pg. 115) scripsit str. IV. 1, 39 *Fabium . . . . . [ad]virgas poposcit, caesum securi percussurus, i. e. ut virgis caederetur* (GH exhibent *virgas.*

P *virgis).* Hoc loco Schanzius (cf. l. c. pg. 680), cui assentior, lectionem deterioris codicis P *virgis* servans ordinem verborum *virgis poposcit* invertit in *Fabium poposcit, virgis caesum securi percussurus.* Deinde str. IV. 5, 16 traditum est *virga, qua ad equum erat usus;* hoc idem valet quod *ad equum regendum.* Schanzius (cf. l. c. pg. 676) hoc loco collatis exemplis str. III. 3, 3 *(odio suo adversus regem uterentur)* et II. 4, 13 *(adversus Romanos . . elephantis . . . usus est)* recte coniecisse mihi videtur *virga, qua adversus equum erat usus.*

Ad habet modalem significationem de aqu. 13, 18 *regula, ad quam ratio computatur;* 18, 8 *directas ad rationem;* 43, 27 *ad lineam ordinentur;* strat. I. praef. *discreta ad rerum varietatem;* 5, 16 *ad novitatem rei;* II. 3, 7 *procedentibus ad praeceptum;* 3, 22 *ad morem equestris pugnae exercitatos;* III. 2, 4 *armis ad similitudinem hostilium factis;* 2, 11 *ad Macedonicum ornatus est habitum.*

Circa. Localis significatio apud Frontinum nihil insoliti praebet; affero tantum str. IV. 7, 38 *circa municipia dimisit,* qua constructione Caesar quoque et Livius in verbis mittendi et dimittendi utuntur (cf. Draeg. I. pg. 618).

Interdum hac praepositione res significatur, ad quam actio, de qua agitur, spectat — nostra lingua 'bei, in betreff' —: de aqu. 40, 5 *circa ius observanda sunt;* 43, 26 *circa collocandos calices observari oportet;* 27, 9 *circa erogationem apparet;* 29, 23 *vitiis, quae circa ea erant;* str. I. 6, 3 *circa praedam occupatos;* II. 9, 8 *circa gratulationem morantis;* III. praef. *circa oppugnationes defensionesque strategemata; has circa expugnationem species; circa tutelam obsessorum.* — Hic est usus scriptorum posterioris aetatis (cf. Woelffl. l. c. pg. 90).

Prope cum accusativo legitur: de aqu. 10, 9; 26, 1 et 13 *prope urbem;* str. III. 10, 5 *prope moenia;* cum praep. *ab* coniunctum: str. I. 11, 5 *prope ab Orchomeno;* IV. 7, 42 (= II. 4, 15) *prope a virgultis silvaque;* — *propius* cum accus.: de aqu. 6, 17 et 10, 26 *propius urbem;* — *proxime* cum accus.: de aqu. 4, 7 *proxime viam Collatiam;* eodem modo construitur adiectivum *proximus:* de aqu. 4, 2 *proximum portam Capennam;* 7, 12 *in proximis urbem locis;* uno loco cum dativo: de aqu. 9, 17 *haec bonitatis proximae* (gen.) *est Marciae* (dat.).

Praepositio *ob* uno loco a Frontino ad causam exprimendam usurpatur, quae in subiecto posita est, qui usus inde a Livio percrebrescit (cf. Draeg. I. pg. 592): cf. str. II. 6, 6 *hostes ob desperationem fortius dimicare.* Ad exprimendam causam extra subiectum positam praep. *ob* exstat: de aqu. 3, 13 *ob inquisitas eius aquae venas;* strat. II. 5, 4 *ob ingentem exercitum intentior;* IV. 3, 4 *quas ob inopiam publice dotavit senatus;* 4, 1 *ob hanc iustitiam se dediderunt;* 7, 22 *ob eam causam;* huc refero etiam I. 4, 8, ubi, cum deteriores tantum codices exhibeant *flumen transire propter oppositum hostium exercitum non posset,* optimus autem codex H omiserit *propter,* fortasse cum Schanzio (cf. l. c. pg. 676) corrigendum est *ob oppositum hostium exercitum.* — Plerumque autem praep. *ob* exstat cum pronomine neutrius generis coniuncta, cf. str. I. 1, 6 *ob hoc operosiores;* 4, 7 *ob hoc nemini suspectus;* 6, 2 *ob hoc dispositio;* 12, 1 *ob hoc attonitos;* II. 1, 11 *ob hoc exasperatus;* 5, 33 *ob hoc dispositis;* 7, 5 *ob hoc infirmarentur;* III. 2, 1 *ob hoc nihil caventibus;* 8, 3 *ob hoc dilapsi;* — str. I. 5, 19 *ob id neglectos;* II. 7, 11 *ob id cedente;* 9, 7 *ob id resolutis suis;* 13, 8 *ob id remissioribus custodibus;* III. 9, 3 *ob id vacua;* 17, 8 *ob id securos.* Quod in libro IV. exempla non inveniuntur offendit, sed conf. Estern. p. 14.

Pro *adversus* interdum forma *adversum* adhibetur, cf. str. I. 3, 7 (hoc exemplum genuinum esse defendit Estern. pg. 22); 11, 18; II. 7, 9; III. 17, 5; IV. 1, 39. Quod Woelfflinus dicit, formam *adversum* soli Pseudo-Frontino peculiarem esse (cf. l. c. pg. 76), Gunderm. iam improbavit. — *Adversus* proprie motum alicui rei contrarium significat.

ex qua notione profectus est usus vulgaris huius praepositionis, qui contrarium aliquid indicat, str. I. 4, 9 *adversus aquam assidue procurrere iussit suos.* Hoc exemplum affert Draeg. I. pg. 593.

Versus apud scriptores classicos cum nominibus tantum urbium coniuncta invenitur; sic quoque str. IV. 7, 13 *Lacedaemonem versus;* uno loco legitur *in — versus;* cf. I. 4, 11 *in Italiam versus.*

Usque omnibus locis cum praep. *ad* vel *in* legitur; collocatio huius praepositionis varia est; cf. *usque ad:* de aqu. 4, 8; 9, 5; 14, 14. 26; 15, 14. 20; 16, 3; 22, 14; str. II. 5, 7; 6, 10; III. 15, 3; IV. 7, 29; — *usque in:* str. II. 4, 15; III. 2, 2; — *ad . . . usque:* de aqu. 12, 9; 33, 10; str. IV. 1. 14; 7, 34; — *in . . . usque:* de aqu. 33, 20; str. I. 5, 16.

Post a Frontino interdum pro coniunctione *postquam* cum verbo finito adhibita est, cf. de aqu. 2, 2 *post experimenta et usum;* 27, 11 *post tot iniurias* (= postquam rivi tot iniuriis affecti sunt). Ab Horatio usurpatur *post hoc,* quod habes str. IV. 1, 43 (cf. Draeg. I. pg. 599).

Praep. *per* omnibus notionibus localibus ut 'durch, überall in, entlang, zwischen hindurch' a Frontino usurpatur. In oratione saepe praep. *per* cum verbo *eundi* vel similibus ita coniungitur, ut enuntiatum fiat translatum, qui usus apud poetas et scriptores argenteae aetatis invenitur (cf. Draeg. I. pg. 603): cf. de aqu. 11, 2 *per species operum complecti;* 22, 9 *per singulas demonstrabo;* 34, 15 *ire per singula;* 47, 1 *fides per singula exigenda est;* IV. praef. *ordinem per species servare,* quocum conferas de aqu. 1, 17 *more per officia servato.*

Praepositionem *per* a Frontino saepius loco ablativi instrumentalis usurpatam esse, commemoravi iam pg. 75. Haec exempla collegi: de aqu. 34, 15 *per quae* (= quibus) *adiecit utilitatem*; str. I. 3, 3 *per hoc;* 4, 14 *per hoc consilium avocatis* (I. 9, 2; II. 7, 1 *consilio*); 8, 12 *per hunc consilii ostentationem avocato;* 10, 1 (= IV. 7, 6) *per hoc exemplum ostendi*; 12, 12 *exterritis per tale prodigium;* II. praef. *per constantiam;* 4, 6 *per hoc*; I. 5, 18 *per haec;* II. 11, 6 *per hoc beneficium conciliavit;* 12, 4 *per paucorum curam instituti;* III. praef. *per quae hostes redigantur;* 2, 4. 11 *per hunc errorem;* 6, 7 *per hoc consilium.* — Praeterea commemoro str. III. 3, 6 *per hostem non liceret* (cf. Draeg. I. pg. 604); de aqu. 32, 20 *per se* eadem significatione qua *separatim.*

Modali significatione adhibetur *per* sicut a Livio (cf. Draeg. I. pg. 606); de aqu. 7, 18 *per vicem;* str. I. 1, 3 *per speciem servitutis;* 1, 6 *per circuitum;* 2, 4 *per speciem legatorum;* 5, 16 *per ludibrium;* 5, 19; 10, 1 *per partes;* II. 1, 4 *per quietem praeparatis;* 3, 16 *ordinatus per hastatos;* 5, 25 *per vices;* 5, 36 *per simulationem metus; adgressus per obreptionem;* III. 9, 4 *per simulationem fugae;* 10, 2 *cuiusdam civitatis per tumultum relicta oppugnatione;* IV. 1, 14 *per corpora cohortium constituere;* 1, 15 *per otii licentiam sociis iniuriam inferret;* 1, 33 *occisuri per ignominiam.*

Causalis significatio statui potest (cf. Draeg. I. pg. 607): str. II. 7, 12 *per imprudentiam;* III. 3, 6 *per causam venandi;* IV. 5, 16 *per dolorem concitato.*

Neque vero omnibus locis notio vel instrumentalis vel modalis vel causalis clare et aperte discerni potest.

Inter. Commemoro primum de aqu. 29, 13 *inter ea numerandum est* (cf. Draeg. I. pg. 610); tum ad tempus significandum apud scriptores argenteae aetatis inveniri saepius *inter initia* Draeg. I. pg. 610 commemoravit. Sic quoque de aqu. 2, 4 *inter initia administrationis meae.* — Pro *in* sequ. ablativo posita est *inter:* str. I. 1, 5 *inter eam dissimulationem;* II. 5, 20 *inter difficultates.*

Intra satis frequenter posita est ad verba quae motum significant (cf. Draeg. I. pg. 612), de quibus iam dixi pg. 70. *Intra* cum notione temporali, nostra lingua 'binnen, vor

Ablauf', quae deest apud Ciceronem et Caesarem (cf. Draeg. I. pg. 612), a Frontino adhibetur: de aqu. 3, 15 *intra annum et sex menses* i. e. duocevisemo mense; 5, 1 *intra quintum diem, quam erat creatus* i. e. quinto die, postquam . . . .; str. II. 5, 39 *intra paucos dies;* cum notione locali de aqu. 17, 17 *intra breve spatium;* similiter str. II. 5, 38 *intra brevissimum spatium.*

Extra translate posita est str. I. 4, 3 *qui extra delictum erat.*

Supra in libr. de aquis saepissime cum significatione 'über hinaus, oberhalb, jenseits' posita est: cf. 5, 3 *supra Tibur;* 12, 14 *supra portam Capenam;* 35, 22 *cum oriatur Anio supra Trebam Augustam;* cum translata significatione str. I. 4, 6 *propagata supra Romanos ruina.*

Citra sicut apud auctores argenteae aetatis (cf. Draeg. I. pg. 616) translate exstat ita, ut significet *sine:* str. I. 8, 9 *citra vexationem.*

Ultra localem significationem vocis *trans* habet de aqu. 9, 7 *nascitur ultra fontem Marciae;* str. II. 5, 37 *ultra locum insidiarum perducere;* translate posita est str. II. 2, 7 *ultra reliquorum naturam fluminum;* III. praef. *ultra artium materiam.*

2. Praepositiones cum ablativo.

De praepositione *ab* non multum habeo, quod memorem. Fortasse hoc mentione dignum est, a Frontino notiones locales velut *a tergo, a fronte, a latere, a cornu, a parte* aliae, quae optimis quoque scriptoribus in usu sunt, saepissime positas esse. In libro quarto strat. exempla desunt.

Uno loco *a* pendens ab adiectivo causam exprimit: str. I. 2, 9 *ab itinere strigosiores;* cf. pg. 75; pro nudo ablativo: II. 4, 9 *consternati a mendacio.*

Praepositio *de* interdum significatione modali exstat, cf. strat. I. 2, 1; 4, 13a (cf. Hartel, St. Vind. vol. 6. pg. 102); 5, 16; 8, 5; III. 3, 4; 10, 2 *de industria.* De solo ablativo *industria* cf. pg. 72, de praep. *ex* infra. In libro II. et IV. exempla non inveni. — *De* significat locum, ex quo aliquid

deducitur vel amovetur: de aqu. 4, 16 *ex manubiis de Pyrrho captis.* Sic quoque Cicero pro domo 49; Liv. 26, 34 (cf. Draeg. I. pg. 632). — *De* valet idem atque *ex aliquorum numero* (cf. Draeg. I. pg. 627): str. II. 3, 2 *electis de toto exercitu viris;* etiam str. II. 11, 1, ubi Gundermannus scripsit *obsides a principibus acciperet,* cum codices vetustissimi *a* omittant, cum Zechmeistero (cf. St. Vind. vol. 5. pg. 232) praepositionem *de* in textum recipi malim; nam haec lectio et quadrat ad sensum et aptissima est ad scripturam traditam in codicibus GH, 'qui cum praepositio ante *principibus* necessaria sit, antecedentis vocabuli terminatione *des* vocem *de* absorptam esse indicare videntur'.

De praep. *ex* primum ea exempla afferre volo, in quibus ea sensu modali usurpata est. Praeter elocutiones usitatiores *ex praeceptis* (de aqu.), *ex senatus consulto* (de aqu., str. IV.), *ex consuetudine, ex more, ex pacto, ex industria* (str. II. 1, 9; 3, 6. 20; 5, 10. 12. 13; III. 17, 1), *ex sententia* (strat.), *e re publica,* annotavi *ex hoc modo:* de aqu. 44, 14; *ex utilitate:* de aqu. 48, 22; tum *ex* cum sensu causali legitur de aqu. 8, 28; str. II. 6, 9. 10 *ex necessitate;* str. I. 9, 1 *ex occasione;* str. II. praef.; 6, 3. 8 *ex desperatione;* str. II. 11, 4 *ex novitate rerum;* III. 2, 3 *ex longo belli usu;* IV. 7, 36 *ex conscientia trepidum.*

3. Praepositiones sequ. accusativo vel ablativo.

In praepositionis notio modalis apud Frontinum non raro invenitur. Primum nonnullos locos afferre mihi liceat, quibus *in* posita est ad eventum significandum (Draeg. I. pg. 655): de aqu. 1, 18 *in corpus diducta; in ordinem;* 46, 11 *in crustam indurescit*; 46, 26 *in unitatem corroboretur;* 14, 9. 25; 15, 8 *circumacta, redactus in rotundum;* 15, 11 *in solidum capacitatem ampliat;* 17, 23 *in rectum collocatus.* Deinde modus ac ratio significatur his exemplis: str. I. 5, 1 *in modum cavae lunae;* 5, 5 *in densum ordinem structis;* II. 4, 18 *in habitum sacerdotum subornatis;* 5, 12 *in modum defunctorum;* 5, 13 *maiorem in modum;* 5, 26

in eundem modum. Poetice dictum est str. II. 5, 31 *in morem Romanorum.* In libris III. et IV. exempla non animadverti. — Tum finalis usus praepositionis *in,* qui ante Livium rarius invenitur (cf. Draeg. I. pg. 658), per omnes strategematon libros et libr. de aquis aequalis est. Praeter exempla, quae congessi pg. 55 et 56, affero: de aqu. 8, 23 *in usus populi fluentem;* 12, 17 *in usum urbis diducuntur* multisque aliis locis; dativus quoque hoc sensu usurpatur, cf. pg. 55; str. I. 5, 3 *in lignationem exire;* 7, 2 *in fluminis transitum compellere;* 9, 4 *in perniciem ducis consurrecturae;* II. 5, 11 *in adiutorium exierunt;* 5, 23 *in hoc ordinatus;* 7, 7 *in fidem eius rei;* 9, 6 *in epulas et securitatem compellere;* III. 7, 3 *dispositos in hoc ipsum;* 7, 4 *in usus eius.*

Quod pertinet ad notionem temporalem eos tantum locos affero, quibus *in* pro *usque ad* adhibita est, qui usus apud posterioris demum aetatis scriptores exstat (cf. Draeg. I. pg. 655): cf. de aqu. 35, 9 *in hoc tempus;* str. I. 8, 5 *in adventum legionum traheret bellum;* II. 1, 2 *in horam diei sextam;* 2, 11 *in illam diem victorem;* 5, 31 *quiescere in horam tertiam;* 13, 7 *in quintam horam detinuit.*

De praep. *sub* sequ. ablativo haec affero: de aqu. 6, 7 *sub Nerone principe;* str. I. 5, 15 *sub Atilio consule;* II. 7, 15 *sub potestate barbarorum;* IV. 2, 2 *sub Metello meruerant;* II. 5, 18 *sub specie perfugarum;* 5, 28 *sub specie deditionis.* — *Sub* eadem significatione posita est qua sententia temporalis *dum . . . agit* vel *simulat:* str. I. 1, 8 *census, sub quibus* (cf. Hartel, St. Vind. vol. 6. pg. 99); 8, 5 *sub exspectatione proelii.* — *Sub* sequ. accusativo nihil insoliti praebet.

Super usurpatur uno loco sicut apud Livium (cf. Draeg. I. pg. 663) loco praepositionis *praeter:* str. III. 16, 1 *super verborum honorem equo donavit.*

Uno loco *super* adverbialiter pro *insuper* legitur: str. III. 2, 10 *exposita super merce.*

VI. De attributo.

Substantiva appellativa, quae vices adiectivi attributivi obtinent, a Frontino raro usurpantur; unum exemplum legi de aqu. 36, 24 *servorum opificum;* de aqu. 8, 8, ubi Dederichius scripserat *puella virguncula,* Buecheler praebet tantum *virguncula.* —

Sed in omnibus strategematon libris nominibus saepe additamentum praepositionale attributivi loco liberrime accedit. Fritzeus pg. 31 hos locos commemoravit: str. I. 2, 5 *M. Cato in Hispania;* 4, 4 *Nicostratus dux Aetolorum adversus Epirotas;* similia: 5, 12; 5, 16. 18; 6, 1; 11, 1; 11, 12. 16; 12, 9; II. 1, 1 *P. Scipio in Hispania;* 1, 2 *Metellus Pius in Hispania adversus Hirtuleium;* 1, 14; 1, 15. 16; 2, 9; 3, 16; 4, 6; 5, 31. 32. 33; III. 1, 2 *M. Cato in Hispania;* 3, 6 *Hannibal apud Tarentum;* 6, 6; 10, 2. 9; 11, 3; 17, 5; IV. 1, 15 *P. Nasica in hibernis;* 1, 43 *C. Curio consul bello Dardanico circa Dyrrhachium;* 1, 1; 5, 8; 7, 20. 21. 22. 30.

De enuntiatis coordinatis.

I. De particulis.

1. De particulis copulativis.

a) *Et.* Voces si complures positae sunt, saepius a Frontino particula *et* aut repetita aut omissa inter se coniunguntur. Exempla, quae congessi, haec sunt: de aqu. 3, 5 *(fontes) Camenarum et Apollinis et Juturnae;* 13, 7 *origines et longitudines rivorum et ordinem librae;* str. I. 11, 2 *tribunis et primis ordinibus et centurionibus;* II. 4, 17 *tedae et sebi et sulphuris;* 2, 8 *sole et vento et pulvere;* 3, 16 *per hastatos et principes et triarios.* — De aqu. 2, 19/20 *lege, senatus consultis, mandatis principum;* 3, 6—8 *Appia, Anio vetus, Marcia, Tepula, Julia, Virgo, Alsietina..., Claudia, Anio novus;* 7, 27 *ductus Appiae, Anionis, Marciae;* str. I. 8, 3 *Umbrorum, Etruscorum, Samnitium;* II. 1, 1 *inedia, siti, mora fatigati;* 5, 24 *a fronte, lateribus, tergo circumfusus;* 5, 34 *quinque Romanas aquilas, signa sex et XX, multa spolia;* IV. 1, 26 *cinctu togae praeciso, soluta tunica, nudis pedibus.*

Exempla ea, in quibus complures voces aliis particulis inter se copulantur, congessi pg. 93.

Ultimo membro additur *et,* tribus vel pluribus vocabulis aut sententiis positis: de aqu. 13, 16/17 *quae sit origo, quae vires et quid quaeque appellatio significet;* 34, 2 *aucto castellorum, operum, munerum et lacuum numero;* 34, 6 *alia munditiarum facies, purior spiritus, et causae gravioris caeli sunt remotae;* 41, 10 sqq. *cogitet, intendat, et habeat;* 45, 26 *quae repraesentanda, quae differenda sint et rursus, quae . . . debeant.*

Ad notionem generalem particula *et* propria quaedam res additur, ut idem valeat atque *et quidem:* de aqu. 6, 24 *Romam et in Capitolium;* str. I. 11, 3 *adversus Germanos et Ariovistum.*

Invenitur *et* etiam ante vocabula negativa, ut ante *non:* de aqu. 36, 11 *et haec ipsa non in alium usum;* str. I. 5, 9 *educeret et . . . non haberet;* — ante *nihil:* str. I. 11, 4; II. 5, 42.

Particula *et* transitioni inservit ita, ut novum momentum afferatur, idque in libris strategematon, ut eventus strategematis indicetur. Saepissime simul ablativus absolutus, participium coniunctum, ablativus instrumenti, coniunctiones *ubi, cum* aliaeque particulae *et* adiunctae sunt (cf. Estern. pg. 14): de aqu. 5, 14 *et quoniam . . . . videbatur, mandatum est;* 5, 20 *et quoniam . . . non sufficiebat, prorogatum;* strat. I. 2, 6 *et quia;* 4, 9 *et ubi;* 5, 11 *et* cum abl. abs.; 5, 15 *et;* 5, 20 *et;* 8, 5; II. 1, 1 *et;* 1, 4 *et cum;* 1, 9; 3, 7 *et;* 5, 7 *et cum;* 5, 27 *et* cum part. coni.; 7, 13; 11, 4 *et* cum abl. instr.; 13, 8 *et* cum abl. abs.; III. 3, 3 *et* cum part. coni.; 7, 3 *et* cum abl. instr.; IV. 5, 2 *et;* 7, 14. 19 *et;* 7, 23 *et* cum part. coni. — De adverbiis *ita, sic* cum particula copulativa coniunctis cf. pg. 27/28.

Et — quoque in una sententia coniunguntur, quod rarius fit a scriptoribus latinis (cf. Draeg. II. pg. 33): de aqu. 35, 13 *balneis ac fullonibus et relatu quoque foedis ministeriis;* str. II. 5, 31 *et hi quoque, qui;* 5, 46 *numerum arborum et ex eo navium quoque;* III. 16, 1 *et super verborum honorem equo quoque donavit.*

Et Frontinus aliquoties ita ponit, ut significet *etiam.* Hic usus inde a Livio apud scriptores argenteae aetatis et posteriores frequentissimus est, cf. de aqu. 2, 3; 9, 24; 11, 13; 12, 23; 13, 16; 13, 25; 14, 19; 15, 17; 16, 5; 17, 12; 17, 22; 18, 9; 23, 25; 25, 11; 29, 4; 30, 18; 36, 13; 37, 4; 37, 19; 42, 26; 42, 27; 45, 13; 45, 23; 47, 7; 47, 11; — strat. I. praef. (bis); 3, 10; 5, 3; 8, 3;

8, 8 (bis); 11, 4; II. 1, 15; 3, 3. 10; 5, 11; 5, 31; 5, 38; 7, 5; 7, 7; III. 17, 6; IV. praef. *in qua et ipsa* (sic lego cum Fritzeo pg. 12; Estern. pg. 7) *ordinem servare conabor;* 1, 7; 2, 1; 4, 1; 5, 12; 7, 15.

b) *Que.* Multo frequentior quam particula *et* usus particulae *que* in clausulis strategematon est, quibus eventus indicatur. Huic quoque particulae plerumque constructio participialis aut coniunctiones *cum, dum* sim. adnectuntur (cf. Estern. pg. 14; Fritze pg. 28). Cf. strat. I. 3, 4. 9; 4, 13a; 4, 14 *que* cum abl. abs.; 5, 2 *dumque;* 5, 18 *que* cum abl. abs.; 5, 23 *que;* 5, 24 *que* cum abl. abs.; 10, 1 (= IV. 7, 6) *cumque;* 12, 3 *que* cum part. coni.; 12, 10 *que;* II. 1, 1 *cumque;* 1, 9 *moxque;* 2, 4. 6 *que* cum part. coni.; 2, 13 *que* cum abl. instr.; 3, 2 *que* cum abl. abs.; 3, 10 *que* cum part. coni.; 5, 2 *que* cum part. coni.; 5, 8 *que* cum abl. abs.; 5, 11 *que* cum part. coni.; 5, 12 *cumque;* 5, 33 *que* cum abl. instr.; 5, 41 *cumque;* 6, 3; 6, 4 *que* cum part.; 7, 2 *que* cum abl. instr.; 8, 6 *que* cum abl. abs.; 9, 8 *cumque;* 12, 4 *que;* III. 1, 1 *que* cum abl. instr.; 2, 5 *que* cum abl. abs.; 2, 6 *dumque;* 10, 2. 4 *que* cum abl. abs.; 15, 1 *que* cum part. coni.; IV. 1, 10 *que* cum abl. abs.; 5, 1 *que* cum abl. instr.; 5, 15. 17 *que* cum abl. abs.; 7, 7 codices quidem GHP praebent *terrendique,* sed sensu flagitatur *terrendi quidem,* quod Gunderm. auctore Hartelio in textum recepit; 7, 17 *que* cum abl. abs.; 7, 25 *que* cum abl. instr.; 7, 39 *cumque.*

Etiam aliis locis *que* transitioni inservit, cf. de aqu. 36, 12 *eratque vectigalis;* 36, 27 *eorumque operum;* str. I. 11, 19 *cumque;* — ante verba negativa: de aqu. 35, 10 *adeoque . . . non succurrebatur;* str. II. 2, 14 *idque non posset.* — Ad praepositionem *de* additur *que* (cf. Draeg. II. pg. 35): de aqu. 5, 25 *deque ea re;* 38, 3 *deque eorum officio.*

c) *Atque, ac.* Etiam haec particula a Frontino adhibetur ad eventum strategematis significandum (cf. Fritze pg. 28;

Estern. pg. 15): str. I. 1, 5 *atque inter eam dissimulationem;* 7, 1 *ac;* II. 1, 15 *ac deinde;* 5, 5 *atque ibi;* 5, 26 *ac deinde;* 5, 43 *ac;* 7, 6 *ac protinus;* III. 6, 15 *ac deinde;* IV. 4, 2 *atque ea fide;* 5, 4 *atque inde;* 5, 16 *atque* cum part. coni.; 7, 37 *ac.* — De adverbiis *ita, sic* cum hac particula coniunctis cf. pg. 27/28.

d) Ad coniungendas complures voces, si excipimus polysendeta eadem particula *et* formata (cf. pg. 90), a Frontino hae particulae variantur: *que — que* str. II. 4, 6 *agasones lixasque . . . . iumentorumque magnam partem; ac — et* de aqu. 35, 12: *balneis ac fullonibus et relatu . . . foedis ministeriis; atque — et* de aqu. 37, 20: *ductus atque castella et lacus; que — et* str. II. 4, 8: *lixas calonesque et omnis generis sequellas;* 4, 20 *a feminis puerisque et omni imbelli turba;* 5, 23 *ignibus oleoque et cibo;* 11, 3 *reges eorum praefectosque et omnis;* IV. 5, 18; *coriis madefactis . . . foliisque arborum et omni genere animalium; — et . . . et . . . que:* str. II. 3, 16 *Gallos et Ligures et Baliares Maurosque; et . . . que . . . ac:* str. II. 7, 29 *parmulis . . et galeiculis gladiisque ac . . . hastis.*

Sententiae complures a Frontino plerumque aut particulis *et — que* aut *que — et* inter se coniunguntur, quod apparet ex hoc conspectu locorum: *Et — que:* de aqu. 1, 2 sq. *cum . . . exigat, et . . . instigent sitque . . . iniunctum;* str. I. 11, 10 *provehertur et . . . cohortaretur . . . diceretque;* similiter I. 8, 4; 12, 3; II. 1, 5; 4, 2; 4, 6; 5, 4; 5, 31 (bis); 5, 34; 5, 46; 7, 3. In libr. III. et IV. exempla non legi; *— que — et:* str. I. 4, 2 *rediret insequerenturque . . . et . . . lacesserent;* II. 1, 3 *deposcentes . . . umerosque exserentes et . . . vibrantes;* III. 16, 1 *allocutus est . . . hortatusque est . . . et . . . donavit;* IV. 1, 24 *ducere . . . ibique munire et . . . exigere;* similiter I. 1, 6; 5, 3; 7, 1; 10, 2. 3; II. 3, 20; 4, 8. 20; 5, 39; 1, 3.

Legitur *que — que* str. II. 3, 3 *ordinavit omnemque equitatum . . . posuit praecepitque;* 4, 6 *misit lixasque ire*

iussit . . . praecepitque; II. 7, 9; — *et — ac;* de aqu. 2, 10 *quibus ex locis et a quoto miliario . . . ac quantum;* str. II. 3, 4 *commutavit . . . et . . . conlocavit ac levem armaturam;* IV. 2, 2 *qui sub Rutilio et qui sub Metello ac postea sub se ipso meruerant; et — atque:* str. II. 4, 10; *que — ac:* str. I. 7, 1; II. 5, 24; — *et — et:* str. II. 3, 10 *ut . . cederent hosti et . . . discurrerent et . . . erumperent.*

e) *Neque, nec.* Interdum *nec* ponitur vi adversativa (cf. Draeg. II. pg. 71): de aqu. 7, 21 *nec ut . . . augerent Juliam* (h. e. neque vero hoc faciebant, ut Juliam augerent, cf. Deder. l. c. pg. 166); 46, 27 *nec ullum opus* (h. e. sed nullum, cf. Deder. pg. 224); strat. IV. 5, 19 *nec* (= neque tamen) . . . *tradiderunt.*

Vocis *nec* pro *ne — quidem* positae habes exempla: de aqu. 34, 11 *nec hoc;* 41, 13 *sed nec ab hoc.*

f) Particulae copulativae inter se respondentes. — Pro vulgaribus particulis *et — et* Frontinus quoque adhibuit *tam — quam;* cf. de aqu. 33, 20 *lacus tam novi quam veteres;* 40, 25 *tam augeri quam minui . . . numerum;* de exemplo, quod est 49, 2/3 cf. pg. 34; str. I. 5, 16 *tam propter ipsorum quam propter equorum deformitatem.*

Loco particularum *neque — neque* legitur *nec — aut:* de aqu. 34, 18/19; str. I. 7, 2.

Tres sententiae negativae inter se coniunguntur particulis *neque — neque — neque:* de aqu. 27, 9—11; 42, 2; str. I. 3, 6; — *nec — nec — nec:* de aqu. 12, 28, quarum loco inveni de aqu. 1, 9—11 *neque — aut — ve.*

Particularum *neque — et* inter se coniunctarum (cf. Draeg. II. pg. 86) invenies exemplum: str. II. 3, 16 *ut neque fugere possent . . . et hostem fatigarent* (cf. Zechm. St. Vind. vol. 5. pg. 245).

2. De particulis adversativis non multum habeo quod proferam.

Autem est particula transeundi et in ipsam rem introducendi: de aqu. 13, 23 *est autem digitus . . . sextadecima pars pedis;* — *autem* distinctioni inservit de aqu. 14, 5 *qui autem Agrippam auctorem faciunt, dicunt.*

Tamen legitur, ubi *autem* exspectatur: de aqu. 11, 22 *iam tamen* (h. e. nunc autem) *quibusdam locis* (cf. Deder. pg. 250).

Deinde pauca adiungam de formula *non solum — sed etiam* et similibus, in quibus adhibendis consensum inter libr. IV. et cetera scripta Frontiniana esse apparet:

de aqu.	34, 26	*non solum,*	*sed*	*etiam;*	
„	44, 6	„	„	„	„
str.	I. 5, 3	„	„	„	„
„	II. 3, 16	„	„	„	„
„	IV. 3, 15	„	„	„	„
„	„ 7, 16	„	„	„	„
de aqu.	13, 9	*non solum,*	*verum*	*etiam*	
str.	I. 5, 21	„	„	„	„
„	I. 11, 6	„	„	„	„
„	IV. 2, 1	*ne solum,*	*verum*	*et;*	
de aqu.	45, 23	*non solum,*	*sed*	*et;*	
str.	IV. 4, 1	„	„	„	„
„	II. 4, 12	*non solum,*	*sed*	*quoque;*	
„	„ 6, 9	„	„	„	„
de aqu.	17, 17	*non tantum,*	*sed*	*etiam;*	
„	29, 27	„	„	„	„
str.	I. 3, 10	„	„	*sed*	*et;*
„	II. 5, 2	„	„	„	*etiam;*
„	„ 7, 2	„	„	„	„
„	III. 16, 1	„	„	„	„
„	I. 4, 13a	„	„	*sed*	*quoque*
„	II. 4, 4	„	„	„	„
„	III. 16, 2	„	„	*sed;*	
„	IV. 7, 27	„	„	„	
de aqu.	28, 12/14	„	„	„	
„	45, 24	*nec*	„	„	
str.	III. 2, 1	*non tantum,*	*verum*	*etiam;*	

str. III. 17, 4 *non tantum, verum etiam;*
„ IV. 7, 30 *nec „ „ quoque;*
de aqu. 1, 3 *non modo, verum quoque;*

3. Particulae disiunctivae. De particulis *sive* vel *seu* promiscue usurpatis (Draeg. II. pg. 146) haec commemoro:

Sive duplici forma inter se respondente non inveni; sed *seu — seu* duobis locis invenitur; de aqu. 1, 2; 35, 23/24 *(seu quia — seu quia);* deinde hae formulae responsionis leguntur: de aqu. 7, 16 *seu quia — sive quia;* 11, 19 *sive* cum abl., *seu quia.*

De *aut — aut* nihil dicendum. Ter repetitur *aut:* de aqu. 3, 2/3; str. II. 3, 9; quater: de aqu. 45, 28—46, 1.

Particula *vel* geminata est: str. II. 3, 16.

4. Particulae conclusivae. Hoc loco tantum dicendum est de adverbiis pronominalibus loco particularum conclusivarum positis.

De adverbiis *ita, sic* hoc sensu usurpatis iam dixi pg. 27/28.

Ideo cum sententia causali *(quod)* coniunctum numquam, cum particula copulativa coniunctum persaepe adhibuit Frontinus idque in structura exemplorum, ut exempla ab Estern. pg. 14 congesta docent; cf. str. I. 5, 21 *ideoque incustoditus;* 9, 3 *ideoque non ex causa culpae;* 10, 3 *et ideo suos arcere vellet;* III. 3, 6 *et ideo minus observaretur;* 5, 2 *et ideo non expavescere;* — ex libris de aquis collegi: pg. 8, 22 *parum salubrem ideoque nusquam in usus populi fluentem;* 10, 15 *turbulentum fluit. ideoque interposita est piscina limaria;* 27, 7 *plurimum subtrahi deprehenderimus ideoque minus inveniatur;* 27, 17 *ideoque cum . . . . perveniret, miscebatur;* 43, 22 *ideoque adiciendum est;* 45, 23 *ideoque . . . debet;* 46, 5 *ideoque explicanda sunt.*

Woelfflinus ex eo quod haec particula in libro IV. strat. non invenitur, conclusit, libros I—III. et IV. non ad eundem auctorem referendos esse. At ne in libro quidem II., qui dictionem Frontinianam evidentissime praebet, particula *ideo* invenitur. Atque ne ea quidem de causa, quod in libro IV. 7, 22 clausula strategematis per *ob eam causam* indicetur, licere dicere, libros I—III. a libro IV. discrepare, Estern. p. 14 demonstravit, cum talia ἅπαξ εἰρημένα etiam in libro II. exstent: cf. str. II. 1, 14 *eoque ipso;* 4, 9 *quam ob rem;* 9, 1 *ex eo.*

Idcirco, quod legimus str. IV. praef. et 7, 41, invenitur etiam str. I. 1, 9.

Aliis vocibus, quibus vis conclusiva inest, Frontinus utitur his:

inde: de aqu. 10, 4; 11, 11;
unde: de aqu. 29, 5; str. I. 11, 2;
hinc: de aqu. 11, 8; *eo:* str. II. 1, 14; III. 1, 1; 9, 2.

II. De asyndeto.

Gundermannus quaest. pg. 323 enumerat nonnulla asyndeta copulativa ex libro strat. IV. petita; talibus asyndetis non uti Frontinum ille contendit. Draeg. II. pg. 201 asyndeta interdum ex neglegentia quadam dicendi proficisci commemoravit. Cum autem liber strat. quartus velut res residua neglegentius conscriptus sit quam libri tres priores, talia asyndeta in libro IV. inveniri per se mirum non est. Sed in libris quoque tribus prioribus asyndeta nonnulla inveni. Ut consensus inter libros I—III. et libr. IV. planius perspiciatur, omnes locos huius generis afferam:

Strat. I. 1, 9 *praecepit, ut eaedem stationes vigiliaeque agerentur, totidem ignes arderent, eadem facies castrorum servaretur* compara cum str. IV. 1, 46: . . *ut legio tota infrequens referretur, stipendium ei annuum non daretur, aera reciderentur;* str. I. 4, 7 *praecepit, oram maris legerent, abruptiora tranarent* cum str. IV. 1, 1 *ut frigora et imbres pati, vada fluminum pedibus traiicere adsuesceret miles.*

Deinde str. I. 9, 2 *iussit . . . clamorem tolli, cigna canere* confer cum str. IV. 1, 26 *in principiis cotidie stare iussit, conviviis et balneo abstinere.*

Tum confer str. II. 3, 21 *dextro cornu Samnites, sinistro Bruttios, in media acie Tarentinos collocavit, — equitatem et elephantos in subsidiis esse iussit* cum str. IV. 1, 37 *in singulos centuriones animadvertit, legatum dimisit, reliquis hordeum dari iussit.*

Postremum str. IV. 2, 6 *exercitum viginti quattuor milium peditum, equitum mille sescentorum vicit* compara cum str. II. 3, 21 *Pyrrhi dimidia pars exercitus amissa, apud Romanos quinque milia desiderata sunt.*

Quin etiam compluribus aliis locis libr. I—III. optimi codices asyndeta copulativa habent, cum deteriores tantum particulam *et* addiderint, cf. strat. II. 1, 18 *reliquos adortus occidit [et] universas naves cepit;* II. 3, 3 *praecepitque, ut ad primum impetum eorum fuga sibi consulerent [et] in silvestria . . loca se reciperent;* 3, 12 *securis deinde hostibus in ipso certamine diduxit ordines [et] a lateribus circumventos eos fudit;* III. 9, 6 *nocte improvisus accessit [et] ex diversa parte moenium cornicines canere iussit.*

In his igitur asyndetis copulativis adhibendis mirus quidam concentus inter libr. IV. et libr. I—III. animadvertitur.

Neque aliter se res habet in asyndetis adversativis usurpandis. Cf. str. I. 10, 1 (= IV. 7, 6) *cumque gracilis fecisset, quod imperatum erat, — validissimus cum infirmi equi cauda sine effectu luctaretur;* II. 1, 6 *servos lixasque dimisit ad munera, milites retinuit;* 12, 1 *cohortem tantummodo in statione detinuit, reliquum exercitum ad quiescendum dimisit;* 1, 9 *memor, sibi esse militem . . . duratum, — Atheniensibus acrem;* 4, 7 *ut ubique fuga, — nusquam pugna capesseretur;* 8, 14 *praecepitque, ne quem commilitonum ex acie fugere paterentur, — perseverantius abeuntes trucidarent;*

5, 22 *cum . . . Fabius occasionibus immineret, Minucius pugnandi cupiditate flagraret (immineret et* exhibet tantum H). — In libro IV. haec exempla inveni: 5, 14 *respondissent dimissa ave hostium victoriam fore, necata populum Romanum superiorem;* 7, 24 *edixisset futurum, ut . . . fortibus libertatem daret, ignavos crucibus adfigeret.*

Ex his quae attuli apparet, in usu asyndeti discrepantiam non intercedere inter libr. I—III. strat. et librum IV.

De enuntiatis subordinatis.

I. De enuntiatis substantivis.

1. Verbum dicendi *adnotare* uno loco a Frontino non cum accus. c. infin. coniuncto, sed cum coniunctione *quod* construitur, quo de usu egit Draeg. II. 229 sqq., de aqu. 28, 18 *non dubito aliquos adnotaturos, quod longe maior copia . . . inventa sit. Adnotaturos* eodem sensu quo *miraturos* hoc loco dici Dederichius l. c. pg. 198 putat.

2. Omissa coniunctione *ut* conjunctivus pendens a verbis suadendi, imperandi, praecipiendi, persuadendi, hortandi simil. (cf. Draeg. II. pg. 285) et in libris strat. I—III. et in libro IV. invenitur. Cf. *suadere:* str. I. 1, 6 *Parthis suaderent, per Zeugma traiicerent exercitum;* item str. IV. 5, 7;

persuadere: str. III. 3, 3 *persuasit Gabinis, odio suo uterentur; — ut* legitur str. III. 3, 1 et 5;

rogare: str. I. 1, 10 *rogavit, mitterent;*

praecipere: str. I. 4, 7 *praecepit, oram maris legerent;* item II. 5, 4; 5, 34; III. 9, 4; IV. 7, 28; — *ut* invenitur: I. 1, 9; 8, 11; II. 3, 3; 3, 10; 3, 14; 4, 1. 3. 6; 5, 16. 17; 5, 23. 45; 12, 1; III. 8, 2; 9, 10; 10, 5; IV. 7, 22;

hortari: str. II. 11, 4 *abirent domos hortatus est*; — *ut:* IV. 7, 15;

petere: str. I. 11, 11 *petebatque, maturaret;*

imperare: str. I. 5, 24 *imperavit, facerent;* item 11, 2; II. 1, 8; — *ut* invenies: str. II. 3, 17; 5, 25;

denuntiare: str. III. 12, 1 *denuntiavit, observarent lumen;*

impellere: str. I. 12, 3 *impulit, invaderent;*

scribere: str. I. 8, 3 *scripsit Fulvio et Postumio, copias moverent;* item 4, 13.

Cf. de hoc usu Gunderm. praef. ed. § 12; Zechm. St. Vind. vol. 5. pg. 243; Hartel, St. Vind. vol. 6. pg. 100; Fritze pg. 31; Opitz, commentat. Fleckeisen. p. 203.

3. Quod attinet ad infinitivi usum, scriptor et libr. I—III. et libri IV. a verbis imperandi et praecipiendi infinitivum pendentem facit (Draeg. II. pg. 325 et 26). Cum locis ex libro IV. petitis his quattuor: 1, 1 *portare cibaria imperabat;* 1, 28 *perstare in principiis imperavit;* 1, 24 *praecepit exercitum ducere,* quibus locis solus infinitivus exstat; 1, 6 *farinam portari imperavit,* quo accus. cum inf. legitur, compara hos locos ex libr. I—III. congestos: a) solus infinitivus invenitur str. I. 10, 1 *robustiori imperavit abrumpere;* b) accus. cum inf. 11, 9 *duci equos imperavit;* II. 5, 11 *vastari agros et incendi villas imperavit;* 8, 8 *signiferum occidi imperavit.* Ut verbum praecipiendi in libr. I—III. non cum infinitivo coniunctum, neque verbum imperandi in libro IV. cum coniunctivo solo vel particula *ut* constructum inveniatur, casu accidisse puto. Tantum exstat, verba suadendi imperandi, praecipiendi sim. in omnibus strategematon libris in universum cum coniunctivo particula *ut* aut omissa aut adiecta, interdum cum infinitivo coniuncta esse.

4. Jam vero haec mentione digna sunt:

Jubere uno eodemque loco et cum accus. cum infin. et cum nudo infinitivo constructum videmus str. I. 9, 2 *iussit, clamorem tolli, signa canere* (sed III. 9, 5 *classicum cani clamoremque tolli iussit).*

Curare cum solo infinitivo, quae constructio apud Caesarem, Sallustium, Livium deest, apud poetas autem et posteriores prosae orationis scriptores invenitur (cf. Draeg. II. pg. 333), legimus de aqu. 11, 6: *formas quoque ductuum facere curavimus.*

Sustinere, nostra lingua 'über sich gewinnen, wagen', cum infinitivo coniunctum, quam constructionem scriptorum prosae orationis primus adhibuit Seneca (cf. Draeg. II. pg. 334), invenitur etiam str. IV. 5, 7 *qui comitari sustinerent.*

Verbum impersonale *contingit,* quod iam Cicero et praecipue Vergilius, Horatius cum infinitivo construunt, tum autem apud scriptores argenteae demum aetatis ita invenitur (Draeg. II. pg. 356), cum infinitivo exstat str. I. 8, 4 *Curio contigit et infestare et avertere.*

Adiectivo *contentus* subiectum infinitivum sibi permisit Frontinus str. II. 1, 8 *contenti sustinere* (cf. Zechm. St. Vind. vol. 5. pg. 243, qui ex Vell. affert II. 112, 6 *nec sustinuisse contenti);* ex libris de aqu. adiungere possum: 49, 3 *contenti occupasse fines.* Haec constructio inde a Vergilio et Horatio apud poetas magis magisque increbrescens in prosa oratione perraro invenitur (cf. Draeg. II. pg. 371).

5. Quod pertinet ad accusativum cum infinitivo coniunctum, primum mentione dignum est, Frontinum studio quam brevissime loquendi commotum persaepe omisisse accusativum subiectivum, idque et in libr. I—III. et in libr. IV.; accedit, quod simul infinitivus *esse* saepissime deest, de quo iam dixi pg. 35/36. Commemoratione digna sunt haec exempla: de aqu. 26, 7 *minus quam* (scil. *eam) in piscina habere posuimus;* str. I. 1, 8 *ignoraret inituros;* 2, 2 *animadvertisset non alienos nomini Romano;* 9, 1 *sparsit rumorem, eodem loco hibernaturos;* 11, 18 *ut persuaderet, contemnendos;* II. 7, 9 *quia non putabant, deprehensum;* III. 16, 3 *promisit, pensaturum; — praedaturos pollicitus;* 13, 11 *ratus sibi eripi;* IV. 1, 23 *minatus non receptum iri;* 5, 1 *minantibus direpturos;* 6, 3 *considere iussit;* 7, 5 *dixit congressurum.*

Deinde commemoro, Frontinum saepius verbo *deprehendere* tamquam verbo sentiendi usum esse, idque eodem sensu, quo *invenire* (quod Draeg. affert II. pg. 383) adhiberi, cf. de aqu. 27, 7 *plurimum detrahi deprehenderimus;* 28, 14; 29, 3; 43, 12.

Ponere eadem significatione qua adhibetur *scribere, adscribere* cum accus. cum infin. coniungitur: de aqu. 24, 13 *minus quam recipi in ductum post piscinam posuimus;* item 25, 13; 26, 7.

Quin etiam constructio personalis (sicut apud verbum *inveniri)* exstat: de aqu. 28, 3 *Anio novus in commentariis habere ponebatur quinarias . . .*

Loco nominativi cum infinitivo coniuncti ponitur accusativus cum infinitivo coniunctus ad verbum impersonale *traditur:* str. IV. 3, 9 *Scipionem traditur . . . vesci solitum;* hoc exemplum affert Draeg. II. 458. Simili constructione utitur Frontinus de aqu. 5, 25 — 6, 1—4, quo loco primum *dicuntur* cum nom. c. inf. exstat, cui constructioni adnectitur accus. cum infinitivo coniunctus, qui pendet a verbo *dicitur* ex voce *dicuntur* subaudiendo.

II. De enuntiatis adverbialibus.

1. A coniunctione *quotiens* coniunctivus aptus est str. III. 3, 4 *quotiens decertaretur;* item de aqu. 9, 4.

2. In sententiis comparativis Frontinus plerumque adhibuit *tamquam,* cf. str. II. 4, 2 *tamquam auxilia sibi adventarent;* similiter 5, 19; 7, 4; 7, 14; III. 6, 4; 9, 3; 10, 3; IV. 1, 8; 7, 19. 22; *velut* II. 5, 18.

Deinde commemoro, vocem *alius* omnibus locis cum particula *quam* coniunctam esse; cf. de aqu. 1, 10. 11 *neque . . . . aliter . . . aliutve quam;* 28, 8 *quo alio modo quam quod . . . .;* 42, 24 *alio, quam . . ., non oportere;* str. I. 1, 10 *neque aliter quam;* IV. 1, 2 *alia carne quam.*

3. Si complures sententiae finales inter se coniunguntur, Frontinus has formulas usurpat: de aqu. 37, 3 *ne quis violare ductus aquamve . . . derivare auderet;* 40, 6 sqq. *ne quis . . . et ne quis . . . ducat;* 43, 27 *ut . . . ordinentur nec . . . ponatur;* str. I. 5, 3 *ne . . . solverent aut . . . deponerent neu quis . . . discederet;* II. 7, 5 *ne et perferret et . . . infirmarentur;* IV. 1, 15 *ne . . . . corrumperetur aut . . . inferret;* 1, 44 *ne quis . . . vacaret neve donaretur neve . . . ferret aut . . . reportaretur;* 7, 31 *ne aut . . . alienaret aut . . . minueret;* 7, 42 *ne discederent neve . . . laxarent.*

4. Quod attinet ad condicionalia enuntiata, particula *si* vices particulae *etsi* obtinet de aqu. 1, 14 *quorum si necessariae partes sunt, tamen . . .*

Participium futuri activi cum enuntiato condicionali coniunctum est: de aqu. 11, 25 *Anio vetus, similiter suffecturus etiam altioribus locis urbis, si . . . . erigeretur;* str. I. 1, 9 *detractaturo pugnam, si intellexisset.*

Haec constructio inde a Livio apud scriptores argenteae aetatis invenitur (cf. Draeg. II. pg. 754).

5. *Quamquam* coniunctio regit coniunctivum str. II. 7, 14 *quamquam nihil secum praesidii haberet.*

De participio.

1. Primo loco mentione dignum est, et in libr. strat. I—III. et in libr. IV. saepissime 'in exemplis componendis participia adhiberi sive particulis copulativis inter se coniuncta, sive particula non posita alia aliis subiecta'. Quod quam saepe fiat, apparet ex iis locis, quos Fritzeus l. c. pg. 25 et 26 diligenter conscripsit, ut concentum, qui inter libr. I—III. et libr. IV. esset, demonstraret. Exempla illa repetere mihi liceat, ut materiam commentationi meae aptam quam perfectissimam congeram. Cf.

Strat. I. 1, 17 *Mithridates, circumvallante Pompeio, fugam in proximum diem moliens, huius consilii obscurandi causa latius et usque ad adplicitas hosti valles pabulatus, conloquia quoque cum pluribus avertendae suspicionis causa in posterum constituit.* Similiter I. [1, 11]; 5, 12; 6, 2; 8, 11; 10, 2; 12, 1 et 5.

Strat. II. 4, 5 *C. Sulpicius Peticus consul contra Gallos dimicaturus iussit . . muliones . . abire et indidem conserto iam proelio velut equis insidentes ostentare se pugnantibus: quare Galli existimantes adventare . . . cessere iam paene victores.* Similiter str. II. 2, 12; 5, 5. 12. 19. 24; 11, 3, 4; 13, 3.

Str. III. 3, 5 *Philippus, . . . exclusus Apollonidi praefecto eorum . . . corrupto persuasit, ut plaustrum . . . oneratum . . . poneret: confestim deinde signo dato insecutus oppidanos circa impedita portae claustra trepidantis oppressit.* Similiter str. III. 3, 4; 6, 1. 5; 9, 2; 10, 6; 15, 5; 17, 2. 3. 6.

Str. IV. 5, 17 *M. Cato Censorii filius in acie decidente equo prolapsus, cum se recollegisset animadvertissetque gladium excidisse vaginae, veritus ignominiam rediit in hostem exceptisque aliquot vulneribus reciperato demum gladio reversus est ad suos.* Similiter str. IV. 1, 1. 23. 29; 2, 8; 4, 1; 5, 2. 5. 14. 16; 6, 4; 7, 8. 20. 22.

Unum simile exemplum, quo duo participia coordinata exstant, ex libris de aqu. afferri licet, cf. 1, 7 *sitque . . . . iniunctum officium, ad usum pertinens, administratum per principes . . . viros.*

2. Frontino peculiarissimum est, vocem *species* cum participio plerumque praesentis in genetivo posito coniungere (cf. Hartel, St. Vind. vol. 6. pg. 113), quem usum hoc loco afferre mihi liceat, ut consensum, qui est in hac elocutione adhibita apud Frontinum et auctorem libri IV. demonstrem: str. I. 5, 26 *speciem remanentium praebebant* (similiter I. 5, 17 *ad fidem remanentium);* 4, 4 *speciem remanentis exercitus praeberent;* II. 12, 3 *accedentium novarum virium speciem praebere;* (3, 12 *longe minoris exercitus speciem praeberet);* III. 8, 2 *praebitura speciem urbis ardentis;* 10, 2 *speciem fugientis praestitit;* IV. 7, 20 *speciem magni sequentis exercitus moveret;* similiter 1, 9 *speciem rapturi praebeas.*

3. Participium futuri activi loco sententiae secundariae a Cicerone nunquam fere ponitur; inde a Livio hic usus creber fit (cf. Draeg. II. pg. 775). Apud Frontinum exstant haec exempla: str. I. 4, 5 *venissent acturi de pace;* 10, 4 *ab impetu Romanis profuturo;* II. praef. *exemplis . . . instructuris ducem in his;* 2, 13 *numerum comminus pugnaturum;* 11, 5 *quod parentes redempturi captivam donum*

attulerat; III. 8, 2 *praebitura speciem urbis ardentis;* 17, 8 *oppugnaturo oppidum Pompeio* (dativ.). In libro IV. exemplum non inveni.

4. Hos ablativos absolutos mentione dignos puto, cum pronomen sequatur, quo ablativus absolutus rursus excipiatur: str. II. 5, 31 *circumita legione hanc quoque infestaverunt;* III. 10, 8 *qua visa . . . cum ad persequendam* (scil. *eam*) *evolasset.*

Fritzeus l. c. pg. 31 nonnullos ablativos absolutos affert, quibus pronomina ita adiecta sunt, ut, quamquam in latinitate non inauditum est, tamen rarissime inveniatur: str. I. 6, 2 *idem hostibus tergum eius prementibus collocavit;* III. 12, 1 *Alcibiades . . . civitate sua . . . obsessa . . . denuntiavit;* IV. 1, 41 *Manlius filius exercitu pro se . . . parante negavit;* IV. 3, 12 *M. Curius cum victis ab eo Sabinis . . . contentus fuit.*

Deinde exempla aqud Frontinum non desunt quibus ablativi subiectivi iuxta participia omittuntur (cf. Zechm. St. Vind. vol. 5. pg. 245 adn.): str. II. 4, 4 *fusis fugatisque* (scil. *iis);* II. 8, 6 *reductisque in aciem* (scil. *iis,* h. e. *militibus);* IV. 1, 10 *iussoque* (scil. *eo*) *commigrare.* In adiectivis id non factum esse apud Frontinum observavit Hartelius (cf. St. Vind. vol. 6. pg. 101), qua de causa str. I. 4, 7 *abruptiore [ea]* scripsit, sed recte hoc loco *abruptiora* scripsisse Gundermannum puto.

5. Participia cum coniunctionibus modalibus coniuncta, quae apud optimos scriptores raro inveniuntur, sed inde a Livio percrebrescunt (cf. Draeg. II. 815), saepius a Frontino adhibentur; plerumque participium futuri hoc modo usurpatur; cf.

Tamquam: de aqu. 3, 15 *a collega tamquam idem facturo;* 11, 10 *tamquam adsistentes;* str. I. 5, 3 *tamquam ibi castra positurus;* 5, 10 *tamquam per eum erupturus;* 5, 13 *tamquam adgressurus;* II. 5, 30 *tamquam nuntiaturus;* 5, 38 *tamquam Ilerdam repetiturum;* 5, 40 *tamquam fugientem;* III. 6, 1 *tamquam direpturus; tamquam . . . decertaturus;* IV. 7, 33 *tamquam consurgentem;*

velut: str. II. 5, 19 *velut ad praedam festinantes;* III. 8, 2 *velut victoriam nuntiantes;*

quasi: str. I. 8, 12 *quasi . . pugnaturus;*

quamvis: de aqu. 34, 24 *quamvis . . . defluens.*

In libro IV. participium futuri hoc modo non usurpatum est.

Participia quoque absoluta coniunctionibus praedita exstant, cf. de aqu. 29, 20 *quamvis mutata aqua;* 19, 2 *quasi respirante rivorum cursu;* str. I. 11, 4 *tamquam deo spondente victoriam.*

De gerundivo.

Hoc loco commemoro, dativum gerundivi finalem praeter de aqu. 4, 20 *duumviri aquae perducendae* inveniri strat. I. praef.: *inferendae solvendaeque obsidioni habebit strategemata,* h. e. ad inferendam obsidionem. Hic usus inde a Livio increbruit (cf. Draeg. II. pg. 835 sq.). Alterum huiusmodi dativum invenisse sibi visus est Zechm. (cf. St. Vind. vol. 5. pg. 237) str. II. 13, 2, quo Gundermannus scripsit: *et sectanda ea Antiochi equites moratus effugit.* Cum autem codices meliores HP praebeant *ei sectandae* h. e. ut eam sectarentur, dativum genuinum esse puto. Si ita est, pro *moratus* scribendum est *moratos,* quod faciendum esse Zechm. l. c. et Wachsmuthius (cf. Gunderm. edit. praef. pg. XVI.) censent.

Loco huius dativi finalis aliis locis praepositionem *ad* cum gerundio vel gerundivo coniunctam Frontinus posuit; exempla, quae, ut ita dicam, in omnibus strategematon libris innumerabilia sunt, enumerare opus non est.

Sed haec hactenus. Si quis ea, quae de Frontini elocutione congessi, consideraverit, in omnibus fere rebus grammaticis librum quartum strategematon cum ceteris scriptis Frontinianis consentire profitebitur. Itaque quod pertinet ad dicendi consuetudinem, causa non est, quod librum IV. ad alium auctorem atque Frontinum referamus. Jam Gundermannus quaestionibus suis in eam perductus est sententiam, ut auctorem libri IV. strat. aetate non multum a Frontino distare existimaret (cf. quaest. pg. 326), cum Wachsmuthius, cuius vestigia Woelfflinus secutus est, librum IV. ab auctore saeculi IV. vel V. p. Chr. conscriptum esse contenderit. Quodsi et conceditur, librum IV. temporibus Frontini attribuendum esse, et in tota fere elocutione duorum qui dicuntur scriptorum concentum inesse negari non potest, non iam dubito librum IV. ad eundem auctorem revocare atque libros tres priores, praesertim cum cetera quoque causarum genera, quae Wachsmuthius et Woelfflinus protulerunt, ut librum IV. a Frontino abiudicandum esse ostenderent, in universum improbanda esse demonstraverint Fritzeus et Esternauxius.

Restat, ut paucis verbis attingam, quod de auctore libri IV. nuper protulit M. Schanz (cf. Phil. vol. 48. pg. 674 et 75). Censet ille, libr. IV. ab eo praefecto militum conscriptum esse, qui anno 70. p. Chr. Lingones in Romanorum potestatem redegerit (cf. str. IV. 3, 14), hunc in libello suo componendo cum aliis fontibus tum Frontini strategematis usum esse; rursus ab alio hunc libellum cum Frontini strategematon libris tribus in unum corpus coniunctum, praefationem quae nunc sit libri IV. scriptam primique libri strategematon praefationem verbis *Si qui erunt . . . posuimus* auctam esse. Haec Schanzii sententia[1]) posita est in eo, quod fieri non possit, ut is, qui libros tres priores Frontini complere voluerit et se Frontinum esse profiteatur (cf. praef.

[1]) Quae repetita est in 'Geschichte der röm. Litteratur' v. M. Schanz, II. Teil (Handbuch der klass. Altertumswissenschaft, herausg. v. J. v. Müller, Bd. VIII), München 1892, pg. 469.

libr. IV. *et ipse),* ex Frontini ipsius opere exempla eisdem fere verbis expressa in suum opusculum transtulerit, id quod auctorem libri IV. si non studio fallendi, at certe stultitia fecisse, ita ut repetitis eisdem exemplis speciem eiusdem auctoris praeberet, Gundermannus crediderat (cf. quaest. pg. 329). Fritzeus autem (cf. l. c. pg. 12) et Esternauxius (cf. pg. 7) praefationis libri IV. verba *et ipse,* quibus falsarius ille parum caute indicasse dicitur, se non eundem auctorem esse atque priorum librorum scriptorem, iure emendaverunt in *et ipsa,* exempla autem libr. I—III., quae eisdem fere verbis repetitis in libro IV. iterum leguntur, pleraque in libro IV. suum locum obtinent (cf. h. c. pg. 9/10). Quae si ita sunt, facile explicari potest, qua ratione et libri tres priores strategematon et liber quartus ex Frontini ipsius manu profecti sint.

Frontinus initio sibi tantum proposuit, ut 'sollertia ducum facta, quae a Graecis *στρατηγημάτων* appellatione comprehensa' essent, uno opere comprehenderet, quibus novelli atque imperiti duces ad rei militaris exercitationem et usum uterentur. Totam autem materiam ita in tres libros diducere in animo ei erat, 'ut liber primus contineret exempla, quae competerent proelio nondum commisso, secundus, quae ad proelium et confectam pacationem pertineret, tertius inferendae solvendaeque obsidioni haberet strategemata'. Itaque, ut Zechmeisteri verbis utar (cf. l. c. pg. 232), discriptio vel distributio exemplorum eorum, quae ex rerum gestarum scriptoribus congesserat, ad singulas species, quas cuique libro attribuerat, alligata erat. Sed cum exempla operi suo idonea Frontinus deligeret, multa invenit, quae, cum ad strategematon appellationem minus adaptarentur, sed magis strategica essent, h. e. virtutes narrarent, quae in imperatore et militibus desiderarentur, parum apte tribus praecedentibus libris subici videbantur. Haec exempla ab aliis seiuncta, quae ad mores militares referebat, in novum libellum redegit, quem cum tribus strategematon libris postea velut rem residuam coniunxit. Liber igitur qui fertur quartus strategematon novum

opusculum habendus est, quod Frontinus velut rem residuam libris strategematon ad exemplar appendicis postea adiunxit. Cum autem liber strategicon velut res residua expeditus sit, non eadem diligentia qua libri strategematon — Gundermannus libr. IV. ab homine haud ita erudito scriptum esse dicit pg. 326 — compositus est. Sed ex hac quae in libro IV. apparet neglegentia non concludi licet, librum IV. a Frontino, viro eximiae strenuitatis, abiudicandum esse; nam praefationis libri IV. verbis *in qua et ipsa* (scil. *re residua) ordinem per species servare conabor* Frontinus ipse significare voluit, in libro IV. componendo se non eadem fore diligentia.

Ex eo autem, quod hoc Frontinianum opus a multis legendo quasi conterebatur, factum esse opinor, ut ordo materiae a Frontino tractatae ac distributio compluribus locis conturbaretur et genuinum opus novis exemplis adiectis prorsus inquinaretur. Imprimis facile explicari potest, quo modo factum sit, ut exempla eisdem fere verbis expressa et in libris tribus prioribus et in libro IV. traderentur. Verisimillimum enim puto, virum quendam, qui Frontini opere multum usus est, inter exempla strategicon a Frontino composita nonnulla repperisse aptissima, quae strategematon generibus subgererentur. His exemplis inserendis corpus strategematon, primum ac potissimum Frontini opus, putavit complendum esse, quod ut fieret, Frontinus ipse quasi adhortatus erat (cf. praef. libr. I.). Etiam ea exempla, quae a verbis *Idem fecit* incipiunt (cf. h. c. pg. 7), ab eodem rei complendae causa in margine notata esse possunt. Quin etiam subtilem illam distinctionem strategematon et strategicon, quae praefationis libri I. verbis *Si qui erunt . . . . posuimus* continetur, ad praenuntiandum librum quartum ab uno eodemque viro interpositam esse contendi licet.

Corrigenda:

Pag. 7, 8 lege 'quae' pro 'qui',
„ 9, 7 „ 'conexum' pro 'connexum',
„ 12, 16 „ 'dicendi' pro 'dicenti',
„ 16, 32 „ 'pag. 57' pro 'pag. 59',
„ 42, 17 „ '*vetuit*' pro '*veduit*',
„ 53, 13 „ 'scriptores' pro 'sriptores',
„ 83, 22 „ '*dispositis*' pro '*dispositio*',
„ 86, 3 „ 'duodevicesimo' pro 'duocevicemo',
„ 93, 8 „ 'polysyndeta' pro 'polysendeta'.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE PHILOLOGICA

QUAE INSCRIBITUR:

„QUAESTIONES GRAMMATICAE DE JULII FRONTINI OPERIBUS INSTITUTAE“

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

A. D. III. KAL. MAI. A. MDCCCXCIII. HORA XI.

IN PUBLICO DEFENDET

FREDERICUS KORTZ

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

THEOBALDUS EDELBLUTH, CAND. PHIL.
CLEMENS MOELLER, CAND. PHIL.
GUILIELMUS STENTRUP, SEM. PHIL. REG. SOD. ORD.

ISERLONIAE.
EX TYPOGRAPHIA BORMANNIANA.
MDCCCXCIII.

Theses.

I.

In Front. strat. I. 3, 14 P. Scriverii (Front. Lugd. Bat. 1633) lectio *militibus* pro *limitibus* iure recepta est a Wolfio (cf. 'Jahrb. d. Ver. v. Altertumsfr. i. Rheinl.' vol. LXXXV. pg. 175).

II.

In carminis quod vocatur *Aetna* v. 269 sq. (cf. Baehrens, poet. lat. min. vol. I.) pro scriptura tradita

Aridiora tenent oleae, sucosior ulmus | grata

coniicio: *Aridiora . . . . prata.*

III.

Sall. de bell. Jug. 108, 2: *neu Jugurthae legatum pertimesceret****** quo res communis licentius gereretur* lacuna explenda est voce *missum.*

IV.

Aeschyl. Eum. vv. 450—453 (edit. Weckl.) subditicii sunt.

V.

In Soph. Oed. Colon. v. 41 legendum est:

τίνων τὸ σεμνὸν ὄνομ' ἂν εὐξαίμην καλῶν (pro . . . *κλύων*);

VI.

In Eurip. Hel. v. 72 scribendum puto:

ὦ θεοί, τίν' εἶδον ὄψιν; ἐχθίστης ὁρᾶ
γυναικὸς εἰκὼ φόνιον ἣ μ' ἀπώλεσε
πάντας τ' Ἀχαιούς.

Vita.

Natus sum Fredericus Kortz in provinciae Rhenanae oppido Steele ad Ruram sito a. d. VI. Kal. Mart. anni huius saeculi LXVI. patre Hermanno, matre Clara e gente Ruether, quorum illum praematura morte mihi ereptum esse lugeo, hanc superstitem esse valde gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum elementis in puerorum ludo orphanotrophei regii Steelensis imbutum, in quod quinque annos natus receptus sum, rector eius spiritualis Joannes Doebbener ad studia humaniora me instruxit. Huic viro nec minus Guilielmo Busch gubernatori, qui studiis meis tam benigne faverunt, plurimam meritissimamque me debere gratiam profiteor. Deinde per sex annos et sex menses frequentavi gymnasium Essendiense, quod vere a. h. s. LXXXVII. testimonio quod vocant maturitatis munitus reliqui. Eiusdem anni mense Aprili, ut in philologica studia incumberem, universitatem Bonnensem adii, ubi per tria semestria me docuerunt V.V. D.D. Birlinger (†), Bischoff (†), Buecheler, Franck, Kekulé, Klein, Lamprecht, Neuhaeuser, Piumati, Usener, Wiedemann, Wilmanns, Witte. Deinde civibus universitatis Berolinensis adscriptus sum, ubi scholis interfui quas habuerunt V.V. D.D. E. Curtius, Dilthey, Doering, Ebbinghaus, Geiger, Huebner, Kirchhoff, Paulsen, Robert, Roediger, E. Schmidt, de Treitschke, Vahlen. Post duo semestria ad perficienda studia in academiam Monasteriensem me contuli, ubi per quattuor semestria docentes audivi V.V. D.D. Langen, Milchhoefer, Spicker, Stahl, Storck. Seminarii regii philologici, cui praesunt Langen et Stahl, per bis senos menses sodalis ordinarius fui, exercitationibus germanicis, ut interessem, benigne permisit Storck.

Omnibus viris bene de me meritis plurimas gratias ago semperque habebo.